Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-542055-p0001-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-542055-p0002-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-542055-p0003-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-542055-p0004-5

1682.

1. Albinus, Bernhardus: De venenis.

2a,b,c. Happius, Joachim: De edaci locustarum pernicie

3. Happius, Joachim: De jure impersonalium

4. Happius, Joachim: De compensatione fructuum cum impensis.

5a,b,c = Happius, Joachim: De jure. 3 Sempl 1667, 1702 & 1742.

6a;b = Rhetius, Joh. Rideo: De feudis Clivensium vel Lutphaniensium more concessis.

7. Schultze, Petrus: De solutione particulari

8. Struvius, Samuel: De collatione succedentium.

9. Struvius, Samuel: De alienatione rerum alq. bonorum civitatum.

10. Struvius, Samuel: De obligatione principis ex facto ministri.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-542055-p0005-1

11. Stryckius, Samuel: De suspitione.

12 Stryckius, Samuel: De concursu expectativae generalis et specialis

13. Ursinus, Sim. Christoph: Discursus juris Dei circa contractum mandati et societatis

14. Ursinus, Sim. Christoph: De lana et lanificio.

15 a, b, c, d = Ursinus Simon Christoph: Quaestum meretricium Germ. Hueren-Lohn. -- publice Disputandum proposuit. 4 Exempl. 1682 : 1737

16. Vehr, Renatus: Delirium ex ventriculo.

DISSERTATIO

VENENIS

QUAM

EX FACULTATE MEDICA

CONSENSU

IN ILLUSTRI ACADEMIA

PATRONI, FAUTORIS AC PRAECEPTORIS SUI

PERILLUSTRIS

Publico Eruditorum Examini

AD XII. JANUARII CIↃIↃCCXII.

EXPONIT

AUCTOR

FRIDERICUS CHRISTIANUS KIESEWETTER,

Typis CHRISTIANI GOTTLOBI KAYSERI,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-542055-p0008-7

4364.
1682, 15a
XII. 20/

D. A.

QVÆSTUM MERETRICIUM,

GERM.

Huren-Lohn/

Autoritate Incluti JCtorum Ordinis,

IN ALMA VIADRINA,

PRÆSIDE

DN. SIMON. CHRISTOPH. URSINO,

J. U. D.

Publicè disputandum propono

JOH. WERNER Lüder / Qvedlimb. Saxo.

Ipsis Cal. Septembr. Anno M. DC. LXXXII.

Francofurti ad Viadrum,

Typis JOHANNIS COEPSELII, Acad. Typogr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-542055-p0009-7

Introitus.

BOni omnes, qvotqvot animi imperio magis qvàm corporis utuntur ministerio, finem suum identidem respiciunt, ac solennia ista verba intra præcordia sua volvunt: *Qvid ago?* ut ita cupiditas, qvà ducuntur, respirare paululum possit, ipsiqve aliqvid loci rationi & consilio concedant. Qvi verò aliter vitam suam instituunt, nec, qvid agant, sollicitè expendunt; eos semineces, imò vivos videntesqve, attestante Sacra pariter ac profana Pagina, jure dixeris mortuos. Qvid enim aliud sunt, qvàm corpora à socia anima deserta seu viva hominum cadavera? Cujusmodi sed maximè informia cadàvera oculis tuis, B. L. subjicimus; Meretrices nempe qvæstum corpore facientes. Præterqvam enim, qvod generosus ille Inhabitator Spiritus gravissimo scelerum onere oppressus, imò planè videatur extinctus; illæ etiam totæ in libidines effusæ, ad qvid natæ sint, qvidqve agant, parum memores, nulla corporis sui, summiq; Opificis, qvi non casu illud, sed miranda arte condidit, ratione habita nulla, caducum qvidem istud tabernaculũ, sive, ut id eleganter Gorgias olim Leontinus vocavit, σαπρὸν καὶ ῥέον οἰκίδιον, putrem & difluentem domunculam, sed multarum tamen Divinarum actionum officinam nefario vitæ genere non modo turpiter corrumpunt; sed vanissimo qvæstus studio penitus etiam destruunt ac evertunt. Verùm præter ea pleraqve fermè omnia cum cadaveribus communia habent meretrices. Uti enim aspectu plerumqve tetra sunt cadavera, eademqve intolerabili odoris fœditate depulsi viatores aversantur: ita turpem consvetudinem

mere-

meretricum odio habent, deteſtantur ac fugiunt, qvotqvot morum honeſtas æqve ac ſalus exiſtimationis ſuæ curæ cordiqve eſt, ac ſedulo cauent, ne illi contagio qvaſi qvodam inficiantur, hæc verò labe qvadam aſperſa periclitetur. Sed è contrario, ut vulturibus, corvis idqve genus carnivoris avibus aliis cadavera in delitiis ſunt, eóq; certatim advolant, ubi illorum copiam odoratu præſenſerunt: pari qvoq; ratione meretrices non mediocri voluptate impuros, ſuæqve ſortis ignaros & maxime incautos amaſios perfundunt, ſuiqve deſiderium ſimulato faſtidio augent. Ex inſepultis porro cadaveribus magna ſæpenumero morborum ſeges pullulare ſolet; qvi deinde longe lateq; vagantur, & magnas pariter ac acerbas edunt ſtrages; qvibus etiam incommodis moti Sacratiſſimi Principes noluerunt ædes ſacras humandis cadaveribus eſſe conceſſas; ne qvid damni peſtilentibus ſepultorum corporũ exhalationibus corporib9 viventium crearetur. Haud aliter, ubi meretrices foventur, non omnia modo implentur libidinib9; cũ ſcortatio non ſiſtat in uno homine, ſed totam civitatem pervadat; ſed varia inſuper vitiorũ genera, velut ab igne ſcintillæ, diſſeminantur; ex qvibus tandem magnum naſcitur incendium, qvod non unam vel alteram domum abſumit, ſed per omnes urbis partes graſſatur. Qvibus malis ſi cui medelam adhibere animus eſt, facere debet, qvod ſolent, qvi cadavera ad ſepulturas matutinis horis deferunt; qvia eo tempore minus eſt periculi ab halitibus, qvos cadaver meridiano tempore tepefactum graviores & copioſiores emittit. Nempe ſemel admiſſæ meretrices cito & opportuno tempore ſunt ejiciendæ; vel ſaltem licentiam earum qvam ſeveriſſimis ſanctionibus cohibenda eſt, ne libidinis iſtud malum per longas moras novas ſubinde vires acqvirat & invaleſcat. Qvod remedium ex parte ſuum fecerunt Romanorum Legislatores: ceu id ex diſſertatione noſtra de *Qvæſtu Meretricio* non obſcure apparebit. Eam verò ut tu B. L. faventibus oculis uſurpare velis, etiam atqve etiam contendo.

CAP. I.

CAP. I.

DE PERSONIS CUM CAPIENTIBUS, TUM DANTIBUS QVÆSTUM MERETRICIUM.

SUMMARIA.

ADsui conservationem omnis homo tenetur & quare n. 1. & 2.

Quæ media sint sui ipsius conservationis? 3. & 4.

An inter ea referendus sit quæstus meretricius? 5.

Subjectum ejus recipiens sunt meretrices. 6.

Quænam dicatur meretrix? 7.

Meretrix æstimatur ex vitæ genere. 8. cum 2. seqq.

Quot numero viros debet admittere aliqua mulier, ut meretrix audiat? 11. usq; ad 15.

An quæ mulier ex solo ingressu lupanaris censenda sit meretrix? 16. seq.

An extra lupanaria etiam dentur meretrices & quænam sit meretrix occultæ? 18.

De loco, ubi meretrices olim se prostituerunt, agitur. 19. seqq.

Prostitutio meretricum facta etiam est in publico. 22.

Stantes pariter ac sedentes prostiterunt meretrices. 23.

De multitudine & copiâ meretricum tractatur. 24 cum 3. seqq.

Meretricibus etiam hodiernum abundat Hispania. 28.

Meretrices quædam in re venereâ ingeniosæ recensentur. 29. seq.

An quæstus ad meretricem præcisè requiratur? 31.

Meretrices communiter sunt quæstus studiosæ. 32. & 37.

Inde varia cognomina meretricum. 33. 2. seqq.

Quidnam fuerint olim meritoria? 36.

Quæstui cumprimis student meretrices in Hispaniâ. 38. seq.

An sit meretrix, quæ obtentu paupertatis se prostituit? 40.

An quæ vitæ emendatione destinat esse meretrix. 41.
Meretrix nupta honestęq; vivens an adhuc sit pro meretrice habenda? 42.
An adulterium cum eâ committatur, & intellectus L.13. §.2. d. adult. 43.
An maritus meretricis sit leno & infamis? 44. *seq.*
Uxor meretricio more vivens est meretrix. 46.
An cum eâ adulterium committatur, & quæ ejus pœna? 47. *& 49.*
Interpretatio L.22. C.d.adult, 48.
Quænam sit meretrix præsumtivè talis? 50. *seq.*
Quomodo meretrix differat â Concubinâ. 52.
Lenones etiam quæstum meretricium recipiunt. 53. *seq.*
Qui dare possunt quæstum meretricium? 55.
Merotrici rectè aliquid donatur. 56.
Sed miles ei nihil donare potest, & quæ ratio. 57. *seq.*
An id etiam procedat in militibus togatis? 59.
An in Religiosis? 60.

1. NAturâ ita comparatum esse, facilè inter omnes constat, ut quisq; mortalium sui conservationi studeat maximè, & vitam â Parentibus acceptam variis multiplicibusq; modis ac mediis in longum producere solicitè contendat: ad quod etiam unusquisq; nostrum ex lege ordinatæ charitatis maximè tenetur *arg. c. si non licet 9. ca.32. qu.5.* Vita enim socialis uti vita ordinata est; sic in ea
2. respectus cumprimis habetur uniuscujusq; ad se ipsum. Imo præter appetitum naturalem in sui suppositi perfectionem æquè ac conservationem tendentem, omnis homo, quicunq; sui majorem quàm aliorum habendam esse rationem novit, jure etiam naturali adstringitur, ut aliis, quibuscum vita socialis ipsi colenda est, utilis esse possit, ad sui ipsius amorem ac studium: cum non tantùm quisq; sibi, nec parenti suo, cujus esse dicitur; sed etiam Reipubl. & civibus in eâ viventibus nascatur. *l. 1. §. generaliter 15. ff. de vent. in poss. mitt.* Sed quî & alio-

aliorum neceſſitatibus conſulere, & utilitatibus velificari poteſt ſui ipſius incurioſus? Aliorum igitur gratiâ ſe ipſum quoq; ſervare convenit: ut adeo non tantùm ſibi iniqui exiſtant, ſed in alios etiam injurioſi, qui ſui curam gerunt nullam, nec quâ ratione vitam ſuam protrahant, quicquam penſi habent. Sed uti ſtudio ſui omnibus omnino viribus incumben- 3.
dum eſt; ſic animus etiam uniuscujusq; officii & honeſti ſenſu ac amore ante omnia imbuendus, & ad commodè tolerandam vitam ſocialem formandus: ut libido ſubeat neminem, ſe ipſum cum aliorum malo & incommodo ſervandi. Quod fieri nequit, niſi amor ſui intra cancellos honeſtatis coërceatur, caveaturq; ſedulò, ne quis ſui unius fautor, aliis vel moleſtus, vel noxius evadat. Quapropter tempeſtivè certum aliquod & honeſtum vitæ genus eligendum eſt, unde quisq; alimenta ſibi ad vitam tranſigendam neceſſaria quærere & parare queat. In eo enim homo tanquam præſtantiſſimum Deoq; chariſſi- 4.
mum animal â cœteris animantibus diſtat, quod hæc ex raptu vivant, & ſine diſcrimine honeſtatis vel turpitudinis ea, quæ ſibi ſunt neceſſaria, quærant: homo verò honeſtis mediis citra aliorum damnum vel injuriam ſe ſuſtentare ſatagat, turpia verò vivendi media cane pejus & angve averſetur ac fugiat. Imò uti nemo bonus turpi quæſtui inhiat unquam, ita lucra 5.
turpiter quæſita poſſeſſoribus ſuis invident jura, quippe quæ nec ad heredes perventura voluerunt. *L. 5. pr. ff. d. Calumniat.* Inter ejusmodi verò lucra turpia jure optimo referendus venit, quem examini noſtro ſubjicimus, *Quæſtus meretricius.*

Ut verò indoles hujus quæſtus eò melius nobis innoteſcat, 6.
ſubjectum recipiens, â quo denominatur, neceſſariò excutiendum erit. Iſtud autem cumprimis conſtituunt *meretrices.* Quæ- 7.
nam igitur meretrices dicantur, ex jure non adeo difficile eſt determinare: quippe in quo meretrix propriè audit ea, quæ palam quæſtum facit, *L. palam. 43. pr. ff. d. ritu nupt.* Palam autem quæſtum facere dicitur, quæ ſe paſſim ſive ſine delectu omnibus vel pluribus committit. *d. l. 43. §. 1. ff. de R. N. add.*

L. 1. pr. ff. de postul. nam palam fieri vocamus, quicquid coram seu cum pluribus fit *l. 33. ff. d. V. S.* hinc etiam palam quæstum facere significat. *ICto Marcello* vulgò quæstum facere *l. probrum 41. pr. ff. d. rit. nupt.* & meretrix *Ulpiano* dicitur vulgaris mulier *L. si uxor. 13. §. 2. ff. ad L. Jul. d. adult.* Quibuscum etiam *Augustinus* facit, qui meretricem describit eam, cujus publicè venalis turpitudo est. *c. meretrices 11. ca. 32. qu. 4.* sive ut *Hieronymus*,
8. quæ multorum libidini patet *c. vidua 16. dist. 34.* Ex quibus concludimus primò, quod meretricem non locus constituat, sed vitæ genus, & virorum multitudo, quibus corpus suum abutendum exponit. *Alciat. ad L. 144. ff. d. V. S. n. 8. Bald. ad L. 43. ff. d. R. N. Fr. Bursat. lib. 1. cons. 18. n. 18. Jac. Menoch. de arbitr. judic. quæst. cent. 6. cas. 535 n. 2. Job. Cephal. lib. 1. cons. 140. n. 6.* Meretricum enim non est, uni servire amanti, sed fovere complures; & ex multiplicibus racemis sibi facere vindemiam. *Philipp. Beroald. in declamat. Ebriosi.* Regulariter enim meretrix (ut illud *Senecæ* meum faciam *lib. 1. de benefic. c. 14.*) inter multos se dividit, ut nemo non aliquod signum familiaris
9. animi ferat. Et in eo differentiam inter Matronam & meretricem spurcissimum illud prostibulum apud. *Plaut. in Cistellar. act. 1. sc. 1. vers. 80. cum seqq.* constituit:

> Matronæ magis conducibile est istuc, mea Silenium,
> Unum amare, & cum eo ætatem exigere, cui nupta est semel.
> Verùm enim meretrix fortunati est oppidi simillima,
> Non potest suam rem obtinere sola sine multis Viris.

Propterea enim *unius effugiunt thorum, ut omnium fiant thorus*, ut eleganter ludit *Angel. Politian. in Epigram. pag. 331.* Hinc lupanaria *Ambros. lib. 2. de Virgin.* diversoria *libidinis* vocantur,

tur & *Tertull.* merecrices scitè nominat *publicarum libidinum victimas*; quippe in quibus promiscuè liceat, quibus libeat, explere suas libidines *conf. Conrad. Rittersh. in comment. ad Salvian. lib. 7. de gubernat. DEI p. 266.* Talis erat Quartilla illa Petroniana, quæ Junonis iram sibi imprecabatur, si unquam se meminisset virginem fuisse: Nam & infans, inquit *apud Petron. Arbitr. in Satyrico pag. m. 71.* cum paribus inquinata sum, & subinde prodeuntibus annis majoribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perveni. Inde Aristippus quidam scorto dicenti, se ex ipso gravidam esse, respondit: non magis eam hoc affirmare posse, quam ipse, si per senticetum transiviſſet, designare posset certam spinam, quæ ipsum pupugisset *conf. Bachov. ad §. pen. J. d. nuptiis.* Quotnam autem numero Viris debeat prostituta esse, ut meretrix salutetur, in jure nusquam determinatum reperitur: ut adeo mirari liceat, quid *Glossatoribus juris Can.* venerit in mentem, cum *ad c. vidua 16. dist. 34. ad verb. multorum*, annotare haud veriti fuerunt, meretricem eam esse, quæ admiserit plures quàm 23000. hominum, vel quæ 40. absq; tamen mercede admiserit. Licet enim Meretrix palam se prostituat, & palam fieri dicatur, quod coram pluribus fit secundum *d. l. 33. ff. d. V. S.* numerus tamen plurium non ad eum immensum numerum extendendus venit; sed uti ea, quæ coram pluribus fiunt, ex facti circumstantiis dijudicanda sunt *Gædd. ad d. l. 33. d. V. S. in fin.* ita quænam pro meretrice habenda sit, judicis arbitrio non immeritò relinquitur *arg. l. 1. §. 2. ff. d. jure deliber.* qui facilè ex numero Amasiorum determinaturus est, num quæ amoris ergo, an vero libidinis explendæ causa indiscriminatim se prostituerit *vid. Jac. Menoch. arbitr. judic. quæst. lib. 2. cas. 328. Joseph. Mascard. d. probat. volum. 2. conclus. 1066.* Neq; tamen vel *Abbatis* sententia admittenda est, quamvis honestior videatur definitione memoratæ *Glossæ*, qui in *c. cum decorem X. d. vit. & honest. clerie. in fin & in c. inter opera X. de sponsal. in fin.* eam quoq; meretricem esse censet, quæ vel duos tantùm quæstûs causa admi-

10.

11.

12.

sit: Vel *Lucæ de Penna in Constitut. Neapol. lib. 3. tit. 43. & Ludov. à Peguem Decis. 12. n. 6. p. 62.* eam quoq; pro meretrice ducentium, quæ etiam unicum tantùm virum quæstus gratia ad-
13. miserit *add. Fr. Bursat. lib. 4. cons. 445. n. 48.* Præterquam enim, quod pro meretrice habenda sit etiam, quæ sine quæstu & gratis libidinis causa se prostituit, ut paulò post pluribus demonstrabitur; illi quoq; expresse *ICto. Ulpiano* contradicunt, qui in *d. l. 43. §. 2. ff. d. R. N.* disertis verbis contrarium pronunciat: *quæ cum uno vel altero pecuniâ acceptâ commiscuit, non videtur palam corpore quæstum facere:* siquidem ex actu ejusmodi meretricio cum uno vel duobus celebrato mulier non statim judicari potest, quod libidinosissimum istud ac meretricium vitæ genus elegerit. *Alexand. vol. 6. cons. 99. n. 10. Ce-*
14. *phal. lib. 1. cons. 140. n. 7.* Neq; Dd. istos juvat *l. mariti 29. §. 4. ff. ad L. jul. d. adult.* utpote quæ de marito lenocinium committente, & quæstum ex hoc faciente loquitur: quo casu sat est, vel semel quæstum accepisse *cons. Didac. Covarruv. de sponsal. &*
15. *matrimon. p. 2. c. 8. §. 11. n. 5.* Ex hisce etiam facilè colligere licet, quid sentiendum sit de opinione *Salyceti*, qui in *l. quæ adulterium 29. C. ad L. jul. d. adult.* illam publicam meretricem statuit, quæ per 20. horas in lupanari vel meritorio steterit. Etenim non locus sed vitæ genus meretricem facit, perinde ac urbana familia & rustica non loco sed genere distingvitur *l. 166. ff. d. V. S.* imò ipsa prædia urbana non locus facit, sed materia *l. 198. ff. d. V. S.* h. e. forma & finis, ad quem prædium destinatum est *add. l. 12. ff. d. suppell. Leg. l. 4. §. 4. ff. d. penu leg.*
16. *l. 99. ff. d. legat. 3. l. 4. §. 1. ff. in quib. caus. pign. vel hypoth.* Verùm licet mulier etiam lupanar ingressa fuerit animo se palam prostituendi, vel meretricium vitæ genus professa: tamen pro meretrice venditari nequit, nisi prostitutio palam subsecuta fuerit, exemplo ejus, qui operas suas locavit, ut prodiret in scenam, sed non prodiit: hic enim pro eo, qui prodiit, non habetur, nec infamiâ notatur *l. 3. ff. qui not. infam.* quia judicio *ICti Caji* ea res non adeo turpis est, ut etiam consilium puniri debeat.

debeat. Accedit, quod turpis vita meretricum cum actu, ut 17.
alia delicta ferè omnia, intelligenda sit, non autem ex solâ animi propositione æstimanda *L. 225. junct. l. 53. in fin. ff d. V.S. add. l. 21. §. 7. l. 52 §. 19. l. inficiando 67. pr. ff. d. furt. l. 3. §. 18. ff. d. acquir. l. amit. poß.* uti etiam in totâ *l. 43.* meretrix ex prostitutione corporis sui, vel quod pudori suo non parcat, vel quod cum aliis se commisceat, censetur. Ut taceamus, quod meretrix in lupanari consistens, si nondum corpus suum vulgaverit, suffragio justæ pœnitentiæ absolvenda sit secundum *L. qui falsam 19. pr. ff. ad L. Cornel. d. falsi. junct. l. 20. C. d. furt. conf. Gædd. ad. d. l. 225. d. V. S. n. 10.* Sed cum maxima vis hominum 18.
confluere soleat ad ea loca publica, in quibus meretrices venum prostant; hinc etiam meretrix κατ' ἐξοχὴν appellari consvevit, quæ in lupanario se prostituit & publica est meretrix. Sed inde tamen non sequitur, quod aliæ, quæ extra lupanaria vivunt, nec minus pudori suo parcunt, eo nomine non sint insigniendæ. Quapropter rectè *Ulp. in d. l. 43. pr. ff. d. R.N.* eas quoq; ad censum meretricum refert, quæ in *tabernâ Cauponiariâ sui copiam faciunt, vel alibi vicem prostitutæ sustinent.* Inde etiam Dd. communiter eæ, quæ extra lupanaria passim se pluribus prostituunt, meretrices vocantur occultæ, & publicis contradistingvuntur.

Lupanaria autem veteres sive meretricum tabernas 19.
ganeas dixere ἀπὸ τῆς γᾶς seu τῆς γῆς, quòd in terrâ fuerint, non ut cœnacula superius valdeq; conspicua *vid. Donat. in Ter. adelph. act. 3. sc. 3.* Imò meretrices olim in acta littoris cellas suas collocasse eleganter notat *Savaro in Sidon. lib. 9. epist. 6.* unde etiam *aquarios* & *aquariolos* dictos autumat: ut expositis Rom. Imperii autoribus in Tyberino littore meretrix ubera admovisse creditur. Ad cujus moris veteris exemplum credo idem representatum fuisse in epulis illis, quas Tigellinus hospitio excipiens Neronem in stagno Agrippæ parasse memoratur *à Tacit. lib. 15. annal. cap. 37.* ubi *num 3.* hæc leguntur: *Crepidinibus stagni lupanaria adstabant illustribus fœmi-*
20

minis completa; & contra scorta visebantur nudis corporibus.

81 Postmodum etiam in antris & veterum murorum monumentis meretrices sese abdebant, latitabantq;: imò Diobolaria, scortilla servis & infimis hominibus prostantia inter sepulchra & monumenta hærebant, quæ *Summænia* & *Suburæ* dicebantur: quod inter alia ex *Martial. lib. 2. epigr. 17. & lib. 6. epigr. 65.*

82 videre est. *conf. Turn. lib. 13. adversar. cap. 19.* Sed non modò in lupanaribus suis seu meritoriis quæstum faciebant impudicissimæ meretrices: sed in triviis etiam vulgò & compitis apud Romanos prostituebantur instar vilium canum, quos in triviis Venereis compagibus hærere scribit *Lucret. l. 4. d. Rer. Nat. p. 561.* quibus etiam ob summam impudentiam meretrices comparantur, in publico venerem peragentes *vid. c. nuptiarum 41. pr. ca. 27. quæst. 1. ibi non canino more. & Andr. Tiraquell. d. LL. Connubial. in l. 9. n. 183. & in l. 15. n. 159.* qualem Lesbiam suam descripsit Catullus:

Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quàm se atq; amavit omnes,
Nunc in quadriviis & angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Idem quoq; Afris & Græcis solenne fuisse ostendit *Barth. lib. 43. adversar. c. 17. p. 1961.* ubi *Salvianum* producit de nefandissimis illis moribus conquerentem *lib. 7. d. divin. provident. Quæ enim fuit*, inquit, *pars civitatis non plena sordibus, quæ intra urbem platea, semita non lupanar? adeo omnia pene compita, omnes vias quasi foveæ libidinum interciderant, aut quasi retia prætexebant.*

83 Aliàs verò communiter meretrices in pergulis prostitisse leguntur, ut nudæ â transeuntibus videri possent, & penitius conspici ea, quæ natura obducta & velata esse voluit. *vid Lipsi. ad lib. 15. annal. Tacit. n. 58.* hinc verbum *stare* meretricio quæstui familiare est, notante *Barth. lib. 41. adversar. cap. 15.* Sed non prostabant solum apud Romanos in fornicibus meretri-

retrices, ut usu corporis nummos mererentur, verùm etiam
ante lupanaria sedere solebant, unde *prosedæ* dicebantur vel
prosiduæ teste *eodem Barth. lib. 40. cap. 17. in pr.* Sed infinitam 24
prope multitudinem meretricum, quæ cum olim alebatur,
tum hodiè multis in locis conspicitur, non minus mirari lubet,
ac vagam earum & promiscuam Venerem. Imprimis verò
Romani olim meretricibus abundarunt; ut non immeritò il-
le *ap. Plaut.* conqueratur *in Trucul. act. 1. sc. 1. Nunc Lenonum*
& scortorum plus est ferè, quàm olim muscarum est, cum caletur
maximè. Nec ipse *ICtus Ulpian.* istud diffiteri potuit, dum *in l.*
ancillarum 7. §. 1. ff. d. hered. petit, expressè meminit: *In mul-*
torum etiam honestorum virorum prædiis lupanaria exerceri.
Nec professio vitæ meretriciæ intra infimæ sortis mulierculas 25
subsistebat; sed etiam præcipuarum familiarum fœminis, maxi-
mæq; dignationis personis familiaris erat, exemplo *Vistiliæ*
prætoriâ familiâ genitæ, quæ licentiam stupri apud Ædiles vul-
gaverat, *apud Tacit. lib. 2. annal. c. 85.* quo Senatus tandem mo-
tus fuit ad decernendum; *ne quæstum corpore faceret, cui avus,*
aut pater aut maritus Eques Rom. fuisset. Sed vis decreti istius 26
Senatûs omnis procul dubio infirmata fuit, postquam vaga li-
bido & promiscua Venus in ipsos thalamos Principum pene-
traverat; ut de *Messalinâ* constat per lasciviam Romanis rebus
illudente, & portentosâ sua libidine omnis generis meretri-
ces superante *vid Plin. lib. 10. Nat. Histor. c. 63. & Juven. Sat. 6.*
aliisq; de quibus Tacit. aliiq; Scriptores Historiæ Augustæ pas-
sim. Quin imò Romæ olim nobiles quædam fœminæ mere- 27
triciis amoribus maculasse suam stirpem visæ sunt, non volu-
ptate aliquâ ductæ, sed timore, ne, si amasios non haberent,
deformes ipsæ haberentur; quia argumentum pulchritudinis
est contentio Amasiorum. Idcirco tanti pretii stultis mulie-
ribus non fuit contemta aut solitaria castitas, ac forma prosti-
tuta, *conf. Firmian. d. secul. genio diss. 4.* Neq; alii hodie mo- 28
res sunt vel Italis vel etiam Hispanis. Imprimis verò in Hispa-
nia Venus illicita tantâ licentiâ dominatur, ut meretriciæ

opera nusquam gentium sit honoratior, atq; libido tam habitatione quàm vestitu ac famulitio præ honestate habeat prærogativam. Quin per omnem Hispaniam verè πάνδημος deprehenditur Venus, præsertim in Lusitaniâ, ubi fermè pro monstro habetur κορίδιος sponsus, ut ex *Boteri relationibus & Clenardi Epist.* notat *Lansi. Orat. contra Hispan. p. 413.* Quæ novissimè etiam confirmat Joh. Makel in der Reisebeschreibung nacher Spanien *c. 9. p. 49. verbis seqq.* Es wird keine Stadt in gantz Europa gefunden/da man stündlich an den hellen Tage mehr unzüchtige Weiber siehet/ als zu Madrit / die Gassen und die Lustgänge sind
29 deren gantz voll etc. Nec defuerunt olim, nec hodienum desunt, quæ ingenium suum in variis modis inveniendis exercendi libidinem excoluerunt, eosdemq; publicis monumentis exposuerunt: ut *Philænis* scripsit περὶ ποικίλων σχημάτων ἀφροδισίων teste *Athenæo lib. 8.* it. *Elephantidos* libelli extiterunt, ex quibus Tiberius Princeps *figuras depingi curavit, quibus cubiculum instruxit, ne cui in operâ edendâ exemplar imparatæ scenæ deesset*, ut *Sveton.* loquitur *in Vitâ Tiberii cap. 43. ibiq; consulatur Casabonus in comment. conf. etiam Lindenbrogius in Priapeiâ*
30 *ibiq; Joseph. Scalig.* Sic etiam *Cæl. Rhodigin. lib. 14. antiquar. lect. cap. 8.* meminit scorti cujusdam *Cyrenes*, cui inditum nomen fuerat δωδεκαμηχάνη. quasi tu dicas machinamentorum duodecim, quoniam in Venereo usu duodecim excogitaverat modos, quibus inscensori jucundius redderetur libidinis profluvium. Nec alia fuit *Calvia Crispinilla* Magistra illa libidinum Neronis *ap. Tacit. lib. 1. histor. cap. 73. n. 1.* & *Sappho*, quæ pariter plures coëundi modos inveniisse legitur, *conf. Matth. Matthesilan. singul. 102. in annotat. n. 8. usq; ad 16. tom. 1. singul. Dd.* Sed ò utinam nostrum seculum ejuscemodi obscœnitates ignoraret, vel nihil de iis percepisset unquam!

31 Deinde concludimus, quod quæstus non constituat meretricem, sed libidinosa vita. Quod *Ulpian.* quoq; approbat *d. l. 43. §. 3. Octavenus*, inquiens, *rectissimè ait, etiam eam, quæ sine quæstu palam se prostituerit, debuisse meretricibus annumerari.*

rari. Ut adeo neſciam, quæ ratio moverit vulgus Interpretum, ut contrariam ſententiam velut communem opinionem paſſim venditaverint, receperintq;. Neq; quicquam officit, quod meretrix corpore quæſtum facere dicatur: cum Leges hoc ipſo formalem rationem meretricis non exprimant; ſed ad id potiſſimùm reſpiciant, quod communiter fieri ſolet. Communiter autem meretrices neq; gratis ſe proſtituunt, neq; ut id faciant, â Lenonibus habentur; ſed inde tamen non ſequitur, quod ſi qua deprehendatur, quæ non quæſtûs recipiendi gratia, ſed libidinis explendæ ergo corpus ſuum vulgaverit, non pro meretrice habenda ſit: cum ab eo, quod plerumq; fit, ad id quod ſemper fieri poteſt vel debet, minus rectè inferatur. Plerumq; verò & communiter meretrices quæſtui ſtu- 32
dent & amaſiorum ſuorum bonis inhiant. Unde etiam â Veteribus *Lupæ* dictæ fuerunt, & turpia earum loca *Lupanaria* nuncupata *Auguſtin. lib. 18. d. civitat. DEI. cap. 21. ſc.* â rapacitate: uti enim lupi rapacitate ſuâ omnia vaſtant; ſic etiam meretrices plus habendi ſtudio bona amaſiorum ſuorum ad ſe rapiunt, eademq; miſerè perdunt, quod ex *Euſebio, Eutropio & Iſidoro lib. 18. cap. 42.* pluribus deducit *Savaro ad Sidon. lib. 9. Epiſt. 6. ibi. quantum de bonusculis avitis paternisq; ſumtuoſitas domeſticæ Charybdis abligurisſet.* Et *ap. Plaut. in Pſeud. act. 1. ſcen. 1.* 33
verſ. 28. gallina pro meretrice accipitur, quia meretrices ut gallinæ ſpargunt & perdunt omnia, *Savaro d. l. & ex eo Taubmann. in comment. ad Plaut. d. l.* Aliis meretrices etiam *limaces* vo- 34
cantur; quod ut limax folia plantarum & olera corrodit: ita illæ amatores ſuos: quo reſpectu meretrix quoq; *à Menandr.* αἰξ *ſ. Capra* nominatur *conf. Taubmann. in not. ad pulicem Virgil. verſ. 42.* Sic olim quoq; meretrices ex Megarâ *Sphinges* ap- 25
pellabantur, quod poſt *Eraſmum in Adagiis* obſervavit *Philipp. Camerar. cent. 1. horar. ſucciſiv. cap. 71. in fin.* quod humano capite manſvetudinem præ ſe ferrent; cœterum corpore reliquo Leonino rapacitatem & imperium, quod in amatores exercent, indicarent. Hinc etiam triti *iſti verſus rythmici* fluxêre:

Omnis revera meretrix est dicta chimæra:
Parte Leo prima, media capra, angvis in imâ.
Si careas donis, pars prima dicta Leonis,
Non te delectat media capra, quia fœtet
Angvis at extremum, quia porrigit omne venenum.

Imò ipsæ meretrices *à merendo* dicuntur, seu quod usu corporis nummos, vel quæstum mereantur: Inde etiam *meritoria* 36 appellantur ipsa lupanaria; quantumvis propriè loquendo meritoria fuerint quasi vestibula lupanariorum: erant enim meritoria loca pluribus scalis exaltata, pergulisq; distincta, in quibus collocatæ meretrices cellisq; suis distinctæ secundùm pretia prostabant *conf. Barth. lib. 42. adversar. cap. 17. p. 1900. &* 37 *seq.* Idcirco proprium quidem est meretricum quæstum facere, sed non proprium, ut scholæ loquuntur, in quarto modo. Id quod Codex etiam sacer testatur, in quo *apud Ezechiel. c. 16. v. 31. & seqq.* dicitur, *omnibus meretricibus mercedes dari, earumq; consvetudinem esse, mercedem recipere & fastidio augere* 38 *pretium.* Qui mos si unquam meretricibus solennis fuerit, certè ejus quàm tenacissimæ reperiuntur etiam hodienum meretrices Hispanæ: cujus rei veritatem curioso exemplo *Autor Itinerarii Hispanici* modò memoratus *Joh. Makel d. c. 9. p. 49.* ostendit, quod cum etiam textum Sacrum non leviter illustrare videatur, huc referre lubet: Man hat mir öffentlich von einem gesaget / der nicht von den reichsten einer ist / daß er auff einmahl einer solchen wollüstigen 80. tausend Kronen geben lassen. Ein ander von Genoa sagte / daß eine Liebesneigung Ihn ohnlängst zwey tausend gekostet; und daß / weilen er sahe / daß das Rabenaß / mit welchem er zu thun gehabt / ihn auff zu ziehen willens war / er sie ver-
39 lassen / ob Er schon von Jhr nichts genossen. Cui simile est alterum quod habetur *p. seq. 50.* Mann erzehlet von einer andern / welche von einen gar grossen und reichen Herrn / als in gantz Spanien möchte zu finden seyn / geliebet war / und da sie nur 4. Pistolen von

Jhm

Ihm vor eine Freude empfangen/dermassen über ihres buhlers Geitz entrüstet worden / daß sie einige zeit hernach in Mannskleidern ihn zu besuchen gekommen / und ihm gesaget / daß gleich wie er sie hiebevor heimgesuchet/ um sie zu geniessen/ sie auch jetzt käme ihn zu geniessen. Als sie nun in der hitze einer falschen Liebe mit den umfassungen die Oberhand behalten/ stunde sie hurtig auff/ und warff ihm einen Beutel mit zweyhundert Pistolen dahin / sprechende: Also bezahle ich meine Huren/ und sahe ihn nie wieder / wolte auch das Geld nicht wieder nehmen.

Porrò concludimus, quòd omnis mulier, quæ quæstui 40
studet, sive animo opes corradendi, sive paupertatis & inopiæ
suæ sublevandæ ergo, pro meretrice habenda sit: *non* enim
ignoscendum est ei, pergit *ICtus in d. l. 43. §. 5. ff. d. R. N. quæ ob-*
tentu paupertatis turpissimam vitam egit. Licet enim durum te-
lum sit necessitas paupertati originem debens; neminem ta-
men ad mala perpetranda adigere potest vel debet: Quin po-
tius aliis honestis mediis incommoda paupertatis depellenda
sunt. Nec tanta facilè famis necessitas fingi potest ulla, quæ
vel meretricem, vel furem, vel alium quemcunq; delinquen-
tem extra reatum culpæ constitueret. Ulterius quoq; inferi- 41
mus, meretricem omnem meretriciæ semper conditionis cen-
seri, quamvis meretriciam vitam non amplius profiteatur,
sed eam mutaverit: *non enim aboletur turpitudo, quæ postea*
intermissa est, ut rectè subjicit *Ulpian. d. l. 43. §. 4.* cum nemo
perpetrato crimine pòst pœnitentia nocens esse desinat, nisi
forsan meretrix vitam suam turpem cum matrimonio & vitâ
honestâ commutaverit. Licet enim ea adhuc sit in lupanari, 42
si tamen postmodum nupta honestè vivat, nec animum habe-
at inposterum delinquendi, meretrix dici amplius nequit:
cum non locus, quod supra demonstratum fuit, sed vitæ genus
meretricem constituat, & vitæ meretriciæ professio honestate
futuri matrimonii sublata esse intelligatur, *arg. c. inter opera*
20. X. d. sponsal. Quippe honestè nupta ex emendatione vitæ
postea judicatur; & hinc rectè Matrisfamiliâs honore cense-

tur, utpote quam boni mores faciunt *l. 46. §. 1. ff. d. V. S. Jac. de*
43 *Bellovisu in pr. crim. lib. 1. c. 9. n. 10.* Inde etiam adulterium cum eâ committi dicitur, & maritus illud vindicandi potestatem habet *L. si uxor 13. §. 2. ff. ad L. jul. d. adult.* quamvis si vidua esset, hoc est innupta, impunè in eâ stuprum committeretur. Menti enim ICti convenientius est, ut casum istius textus de meretrice nondum nupta, utpote quæ pariter vidua est, ac ea, quæ aliquando nupta fuit *L. 242. §. 3. ff. d. V. S.* quàm de viduâ accipiamus post mortem mariti stupro se maculante, ut *Gothofred. add. l. 13. §. 2. lit. O.* quia quicquid ante matrimonium delictum fuerit, ad sanctitatem ejus minimè spectat; sed ea tantùm, quæ in ipso matrimonio admissa fuerunt.
44 Ex quo etiam simul patet; eum virum, qui meretricem duxit, neq; lenocinii reum esse, neq; pro turpi vel infami habendum: Lenocinii enim argui nequit, quia hîc nullum adulterium est cum uxore commissum, & á marito quæstus gratia dissimulatum; nec violasse matrimonium dici potest, quæ nondum in matrimonio vixit *L. mariti 29. pr. ff. ad L. jul d. adult.*
45 Sed neque infamiâ laborat sive juris, sive facti, quod posterius censet *Menoch. lib. 5. cons. 440. n. 4 & Paul Paris. vol. 4. cons. 54. n. 49.* quia nullum turpe factum subest, ex quo iste maritus meretricis notari posset, cum turpe non sit, sed potius pro opere charitatis reputetur *juxta all. c. 20. X. d. sponsal.* uxorem ducere meretricem, *add. c. non est culpandus fin. ca. 32. qu. 1. Menoch. lib. 3. cons. 225. n. 63.*
46 Uti verò meretrix postmodum nupta, & in matrimonio honestè vivens, pro eâ, quæ fuit, non amplius habenda est: ita è contrario Uxor meretricio more pluribus se prostituens jure merito meretrix censetur, nec amplius Matrisfam. honore digna judicatur; cum neq; nuptiæ neq; natales faciant matremfamilias, sed boni mores *d. l. 46. §. 1. ff. d. V. S.* Inde tamen
47 non sequitur, quòd cum eâ nuptâ meretrice non adulterium committi possit, uti nonnulli malè intelligunt *L. si ea 22. C. ad Leg. jul. de adult. vid. Jul. Clar. lib. 5. recept. sentent. §. adulterium*

rium n. 3. Riminald. conſ. 17. n. 20. lib. 1. Fr. Burſat. conſ. 118. n. 14. lib 2. Cujac. lib. 3. obſerv. 18. Siquidem matrimonium adhuc durat, nec per adulterium primum ſequens vel tertium ipſo jure ſolvitur *Finckelth. Obſerv. pract. 5. n. 6.* nec in illa *L. 22.* in 48
quâ non quidem de muliere innuptâ, ut videtur *Finckelth. obſerv. 5. n. 12. & ſeqq.* ſed de uxore agitur, quod rectè advertit *B. Dn. Brunnem. ad d. l. n. 3.* negatur, cum eâ adulterium commiſſum eſſe; ſed tantùm dicitur, quod *adulterii crimen ceſſet* h. e. accuſatio: crimen enim in jure noſtro etiam pro accuſatione ſeu judicio Criminali accipitur *vid. L. 21. pr. ff. d. SCto Syllan. & pr. J. d. ſuſpect. tutor.* quam ſignificationem etiam nobis ſuppeditat *præcedens L. crimen 11. C. eod.* Maritus verò accuſationem jure mariti inſtituere nequit, quia uxor meretrix *ipſi ſtupro cognita erat* i. e. adulterio, nam ſtuprum & adulterium promiſcuè & καταχρηστικώτερον ſeu abuſivè accipiuntur *L. inter 6. §. 1. ff. ad L. Jul. d. adult. L. 101. pr. ff. d. V. S. ibiq; Gædd. n. 1. 2. & 3.* At verò maritus qui ſtuprum vel adulterium uxoris cognovit, nec contaminationi indignatus fuit, aut poſt divortium intra LX. dies eam non accuſavit *l. 14. §. 2. ff. d. adult.* ſed matrimonium ſuum contemſit, ut loquitur *ICtus in L. 2. §. 3. ff. d. adult.* jure mariti accuſationem inſtituere nequit *L. miles 11. §. 10. L. 26. L. 29. pr. ff. d. tit. d. l. 11. C. eod.* quod tamen hodie ſecus eſt *per Authent. Sed jure novo C. eod.* Cum 49
igitur cum ejusmodi meretrice nuptâ adulterium committatur, rectè etiam pœna ordinaria capitis afficienda; licet mitius puniantur, qui cum eâ promiſcuè rem habuerunt *conf. Finkelth. d. O. 5. n. 20. & ſeqq. Hartm. Piſtor. Obſ. ſing. 32. n. 24. & ſeqq.* Hactenus de meretrice verè & propriè tali: præter eas verò 50
dantur meretrices præſumtivè tales, ſcil. quæ facto ſuo & vitâ in ſuſpicionem vitæ meretriciæ adducuntur, ut ſi quæ tam nocturno quàm diurno tempore Viros promiſcuè in domum ſuam admiſerit *Menoch. arbitr. judic. quæſt. Cent. 6. caſ. 535. n. 3. Polydor. Ripa tr. d. nocturn. temp. cap. 37. Farinac. in pr. crim. part. 5. qu. 136. n. 95. & ſeq.* nec levis etiam præſumtio oritur contra 51
eam,

eam, quæ ex inhoneſtâ matre nata, & apud eam educata fuit *Farinac. d. l. n. 99.* Item quæ in cauponâ miniſtrandi cauſa deprehenditur *Id. Farinac. n. ſubſeq. 101. & 102. Menoch. d. caſ. n. 4.* Vel quæ ſola aliquoties cum Viris in balneo fuit *arg. Nov. 117. c. 8. §. 4. id. Farin. d. l. n. 97.* Sed talis præſumtio ex ſolo meretricio habitu, item ſi quæ ſola ſine comite per plateas incedat, vel ex paupertate mulieris vix induci poteſt, quantumvis probet *Farinac. d. l. n. 92. 93. & 100.*

52 Ultimò concludimus, quod meretrix non ſit confundenda cum concubinâ. Concubina enim, licet extra matrimonium vivat; tamen cum uni Viro tantùm cohabitet, meretrix eſſe non poteſt, quippe quæ cum pluribus conſvetudinem habet, vulgoq; ſe proſtituit. Hinc nec inhoneſta perſona concubina eſt; quemadmodum meretrix turpitudine laborare dicitur. Concubina enim honeſtè appellatur *L. 144. ff. d. V. S.* & ipſe Concubinatus per Legem nomen aſſumſit *L. 3. §. 1. ff. d. Concubin.* nec â legitimâ uxore Concubina niſi animi deſtinatione & dignitate diſtat *d. l. 3. in pr. & l. 4. ff. eod. L. item legatum 49. §. parvi 4. ff. de legat. 3. L. probrum 41. §. 1. ff. d. R. N.* Imò certo in caſu, ſi quæ Patroni concubina fuit, ab uxore planè non diſtat; ſiquidem eo honore, quo uxor, cenſetur, & Materfam. appellatur *L. 1. pr. ff. d. Concub. & L. 13. pr. ff. ad L. Jul. de adult.*

53 Præter meretrices quæſtum meretricium recipiunt Lenones lenæve. Lenocinium autem exercent, qui quæve vel filiarum pudicitiam, vel uxorum quæſtûs gratia proſtituunt, vel quæſtuaria mancipia habent *L. Athletas 54. §. 2. ff. d. his qui not. inf. d. L. palam. 43. §. 7. ff. d. R. N. L. 2. §. 2. & L. 29. pr. ff. ad Leg. Jul. d. adult.* Quod crimen cum æquè grave ſit ac corpore quæſtum exercere *d. l. 43. §. 6.* quàm ſeverisſimâ etiam ſanctione ab *Imp. Juſtiniano* interdictum eſt *Nov. 14.* Minus enim peccare videtur meretrix corpus ſuum, in quod jus quaſi quoddam habet, quaſi venale exponens; gravius autem leno, qui ex corpore miſerrimarum mulierum, in quod ipſi nihil juris competit, miſerabilem quæſtum accipit, easq; impedit, quò minus

minus nuptias contrahere liceat. Inde Lenones etiam tanquam 54
communes castitatis Vastatores & pestiferos homines detestatur, imò execratur *Imp. d. Nov. 14. præfat. §. 1.* non ut ridiculè ratiocinatur *Fr. Ripa tr. d. peste in prælud. n. 16.* quod pestis aliquando initium sumat ex immoderato coitu; sed quod omnium fermè pestilentissimi existant: pestilentes juvenculis, quas miserè decipiunt & pessimè seducunt; pestilentes ipsi Reipubl. cui numerosissimam prolem intercipiunt, imò pestilentes omnibus in Republ. viventibus civibus, quorum mores corrumpunt. Quod lenonum sceleratissimum mercimonium uti gravissimis verbis insectatur *Imper. in d. Nov.* 14. ita illud hodienum etiam in Sinensum Provinciis frequentari, eodemq; pariter modo celebrari, quem Imperator ibi damnavit, disertis verbis testatur Joh. Neuhoff in der allgemeinen Beschreibung des Reichs Sina p. 242. & seq. quæ ob maximam affinitatem cum verbis *d. Nov.* hîc inserere placet, cũ alia quoq; notatu digna in ea relatione exprimantur. Die Hurenwirthe ziehen mit bey sich habenden Weibesvolck das gantze Land durch/und wo sie unter gemeinen Leuten junge Mägdlein/so was hübsch von gestalt/ antreffen/bemühen sie sich durch Geld und gute Worte selbige den Eltern zu entführen; unterweisen sie auch hernach üm sie den Männern gefällig zu machen in Tantzen/singen und andern Eitelkeiten. So bald sie manbar worden/ thun die Hurenwirthe ihr bestes/ einer fürnehmen Person sie zu verkauffen/ oder vermieten/ welches ihnen dann nicht schlechten vortheil bringet/ dannenhero sie offt acht/ zehen und mehr solcher leichtfertigen Metzen auf der Streu halten/ nach dem sie ihrer viel oder wenig zufuttern mittel haben. Wann nun der Hurenwirth eine von solchen leichtfertigen Personen üm ein stück Geldes jemand zum Beyschlaff vermietet hat/ setzt er dieselbe auff einen Esel/ verhüllet ihr Angesicht mit einen seyden Tuch/ und führet sie gemelten Kauffmann zu. Nachdem die Hure an den Ort/ da der Liebhaber sie erwartet/ kommen/ leget sie den Tuch vom Gesicht und damit zugleich alle Ehr und Scham ab/ und läst sich hernach zur allerschändlichsten Unzucht und Hurerey weidlich gebrauchen. Es geschicht auch zum öfftern/ daß die Hurenwirthe

wirthe ihre Huren entweder vertauſchen / oder um ſchlechten Preiß einander verkauffen.

55 Tantùm de perſonis quæſtum meretricium recipientibus. Nunc brevibus conſiderandæ ſunt perſonæ turpem ejusmodi quæſtum dantes. Circa quas notandum eſt, quod cum jure Juſtinian. Lupanaria permiſſa ſint, & proinde quæſtus meretricius inter licita referatur, regulariter etiam omnibus mercedem meretriciam vel meretricibus vel lenonibus dare permis-
56 ſum ſit, niſi expreſsè id facere prohibeantur. Hinc meretrici rectè aliquid donari poſſe dicitur in *l. affectionis 5. ff. d. donat. junct. L. 31. pr. ff. eod. L. 29. ff. d. legat. 3.* Nam in iis, quæ ſunt de genere permiſſorum ſeu licitorum, permisſio ad omnes ſpe-
57 ctat, niſi ab ipsâ lege deprehendatur reſtricta. LL. autem ſolos milites excipiunt, qui focariis ſuis ſeu concubinis aliquid donare prohibentur *L. ſi. ancillam. 2. C. d. donat. int. vir. & uxor. Milites* enim ſuas *Imp. Antoninus â focariis hâc ratione fictisq; adulationibus ſpoliari noluit*, ut *ipſe Imp.* ſubjicit *d. l.* Ex quibus rationem exceptionis facilè colligere eſt; ſc. eam non in favore militum poſitam eſſe, ſed in Reip. utilitate: cui non expedit
58 milites habere facultatibus exhauſtos. Locum enim hîc invenit prudens illud dictum Imp. *Alexand. Severi ap. Lamprid. in Vitâ Alexand. Miles non timetur, ſed timet, niſi veſtitus, armatus, calceatus & ſatur, & habens aliquid in Zonulâ vid. Lipſ. lib. 5. civil. doctr. c. 6. p. 262.* Minus enim fortes ſe præſtant, atq; ſtrenuos, qui nervo rerum gerendarum ſunt deſtituti. Parvi enim pendunt vitam ſuam, quibus neceſſaria vitæ deficiunt inſtrumenta. Econtrario longè potiorem ducunt vitam, quibus ſuppetit, unde bene vivere vel vitam ſuam commodè tranſigere liceat. Haut vanè enim vel ineptè etiam vulgò pecunia quaſi alter ſangvis reputatur. Interdictis igitur ejusmodi donationibus, & militibus & Reipubl. ſecuritati proſpicere voluit Imp.
59 Quæ cum ita ſint, prohibitio etiam legis ob ceſſantem rationem vix extendi poteſt ad milites togatos; niſi eandem ſecun-
60 dum principia *jur. Can. cum Dd. ejusdem.* admittere in Religioſis

sis velimus, utpote qui, cum nihil proprii habeant, sed quicquid acquirant, monasterio cedat, adeoq; nihil in præjudicium Monasterii in alios transferre possint, simul etiam donationes in meretrices facere prohibentur *conf. Azor. in instit. moral. p. 3. lib. 4. cap. 21. pag. 292. vers. Ultimò. add. etiam Marc. Anton. Peregrin. in tr. de. jure fisci lib. 2. tit. 9. Hartm. Hartmanni ab Eppingen in Observ. pract. tit. 43. obs. 8.*

CAP. II.

DE QUÆSTUS MERETRICII NATURA ET JUSTITIA.

SUMMARIA.

Connexionis ratio. n. 1.
Quæstus meretricii definitio & definitionis expositio. 2. 3. & 8.
Quæstus meretricius an sit fructus. 4. & seq.
An per lucrum definiri possit. 6.
An sit propriè pretium aliquod vel merces? 7.
An lupanaria sint permittenda? 9.
Quæ quæstio distinctè proponitur & deciditur. 10. & seqq.
Ad contraria respondetur cum generaliter tum specialiter? 13. usq; ad 21.
Scortationis turpitudo naturalis demonstratur. 22. cum 3. seqq.
Explicatur textus in Hos. 1. & 3. 26. cum 2. seqq.
Quid de sententia Judæ Gen. 38. vers. 23. sit sentiendum? 29. & seq.
Quæstus meretricius naturaliter turpis est. 31.
Notantur Moralistæ Pontificii contrarium sentientes & refelluntur. 32. & seq.
Sententia de turpitudine quæstûs meretricii naturali ampliatur dupliciter. 34. & seq.
Eademq; adstruitur ex jure Div. 36.
Quid intelligendum sit per pretium Canis Deut. 23. vers. 19. 37. cum 3. seqq.

Quæstum meretricium non esse civiliter turpem demonstratur ex l. 4. ff. d. condict. ob turp. cas. 41. & seq.
Idem aliunde etiam probatur. 43. & seq.
Hodie quæstus iste turpis reputatur. 45.
Turpitudinis ejus naturalis effectus. 46.
Meretrix etiam jure civ. infamis est. 47.
An & quatenus recipienda sit meretrix. 48.
An ê vicinia expelli possit. 49.
Meretrices habitu distingvuntur ab honestis fœminis. 50.
An injuriæ sit obnoxia meretrix. 51.
An invita cogi possit ad stuprum & rapi. 52. & seq.

1. LIcet certi simus, quidnam meretricius quæstus inferat, ex superiori Cap. aliquo modo cognosci posse: tamen cum in eodem indoles ejus rudi tantùm penicillo adumbrata fuerit, nunc etiam vivis quasi coloribus delineanda erit; ut eò facilius tum justitia ejus, tum facultas moralis circa eundem feliciusq; patere queat.

2. Quæstus verò meretricius nihil aliud ferme videtur esse, quam *obventio quædam ex turpi operâ meretricis descendens.*

3. Dicitur nobis *obventio*; cum hæc uox omnia emolumenta involvat, quæcunq; & quotquot vel ex alicujus rei corpore, vel occasione ejus, vel operâ hominis proficisci unquam possunt. *L. 7. §. 1. ff. d. Usufr. L. 1. §. exercitorem 15. d. Exercit. junct. L. Usuræ 34. ff. d. Usur.* ubi sub obventionibus fructus tam naturales quàm civiles intelliguntur. Quæstus enim meretricius pro

4. *fructu* venditari nequit *sive naturali, sive civili.* Non est *fructus naturalis*, siquidem hic ex ipso rei corpore producitur *L. 121. ff. d. V. S.* quod non contingit in quæstu meretricio: Neq; etiam ut *civilis* concipi potest, quia hic occasione corporis proficiscitur; & in genere omnis fructus alicujus rei æstimatur ex fine,

5. qui rei peculiaris est *arg. L. 12. §. 1. ff. d. Usufr. junct. L. Vetus 68. ff. eod.* jam verò nemini nostrum corpus datum est ad lasciviam, ad libidinem exercendam; sed ad laborem, & ut ejus ministerio

sterio nobis victum & amictum honestè parare liceat *Gen. 2. v. 5. & 3. v. 19. 1. ad Thess. 4. v. 11. Proverb. 6. v. 6. seqq. Cic. lib. 2. d. finib.* Imprimis autem eæ partes corporis, quæ ne honestè quidem nominari possunt, tanquam officinæ quædam sobolis procreandæ sanctè sunt habendæ, minimè verò prostituendæ *1. ad Thessal. 4. v. 4.* Ergo quicquid ex operis manuum in nos redundat, inter fructus tantùm referendum erit, non autem quicquid ex illicito ac damnato corporis nostri usu vel rectius abusu proficiscitur. Neq; commodè *lucrum* definiri potest quæstus meretricius; quippe cum lucrum propriè loquendo sit omnis reditus sine facto nostro, sine labore ullo vel operâ quæsitus; sed qui per se quasi nascitur, & aliunde vel ex alterius munificentiâ aut liberalitate nobis obvenit *L. 13. junct. L. Mutius 30. ff. pro socio.* Hinc causa etiam lucrativa in jure nostro dicitur, quæ merum continet lucrum, sive in quam nihil impensum, vel pro quâ nihil erogatum est *l. 5 ff. d. Usucap. L. inter 38. §. 6. ff. d. V. O. & Dd. ad §. 6. J. d. legat.* At quæstus meretricius non merum lucrum est, sed satis carò constat meretrici, quippe pro quo ei abest, quod æstimationem nullam recipit. Ex quibus etiam liquet; neq; per *pretium* neq; per *mercedem* definiendum fuisse quæstum meretricium: cum hîc nihil subsit, quod pretio nummario æstimari possit: siquidem corpus liberi hominis æstimationem non recipit *L. 3. ff. si quadrupes pauper. fecisse dicat. L. fin. ff. d. his qui effud. vel dejec. L. 2. §. 2. ff. d. L. Rhod.* nec si æstimari posset, meretrici jus competat de corpore suo quicquam statuendi; quia nemo corporis sui & membrorum suorum dominus existit *L. liber homo 13. pr. ff. ad L. Aquil.* & sic in neminem jus aliquod in se ipsum transferre liceat. Neq; etiam per ullum contractum vel negotium humanum jus alicui aliquod in alterius corpus nascitur, nisi per matrimonium Conjugibus in se invicem *1. ad Cor. 7. v. 4. B. Dn. Brunnem. Comment. in ff. ad L. 4. §. 3. d. Condict. ob turpem caus. n 18. 20. & 26.* Restat igitur, quod nullum genus melius quadret quæstui meretriciò quàm obventio; quæ hîc oriri dicitur ex turpi operâ meretricis:

6.

7.

cis: quæstus enim, quatenus lucrum ipsum denotat, non vero artem seu negotiationem, ex quâ nobis lucrum venit, intelligitur, qui ex operâ cujusq; descendit *L. 7. & 8. ff. pro socio.* Cum verò in LL. regulariter supponatur opera honesta, quæq; pretio nummario æstimari potest, ea verò hîc cesset; eapropter addidimus operam turpem meretricis, quam hæc vetito usu corporis sui præstat; ut hâc ratione pariter turpitudinem quæstus meretricii determinaremus. Nam quæstus etiam in jure nostro honestus alius, alius inhonestus datur *L. si possessor 52. ff. d. petit. hered. junct. L. 2. §. fin. ff. d. his qui infam. not.* Sic *Ciceroni* etiam turpissimus calumniæ quæstus dicitur *lib. 2. d. Orat. p. 232.*
9. *lit. F.*

Sed cum ad pleniorem intellectum turpitudínis qvæstus meretricii haud parum facere lupanariorum permissio videatur, de illâ qvoqve nobis necessariò qvædam præmittenda erunt. Vulgaris qvidem ista qvæstio est, an lupanaria sint permittenda; sed qvæ à diversis diversarum Disciplinarum Dd: aliter at-
10. qve aliter concipitur, ac pro diversitate hypothesium diversimode ventilatur ac deciditur. Aliud enim est, permissionem lupanariorum absolutè & in thesi considerare, qvod faciunt Dd. moralium pleriqve omnes. Et uti tunc qvæstio ex principiis justitiæ Universalis sive fonte omnis boni & mali jure naturali determinanda est; ita neminem tam absurdum aut impudentem fore reor, qvi eam affirmare ausit: Et hoc modo accipi possunt, qvæ contra lupanaria afferuntur à *Balduin. d. casibus Conscient. lib. 4. cap. 12. cas. 18. Danæo lib. 2. Ethic. Christ. cap. 15. Heider. System. Philosoph. moral. part. 2. p. 553. & seqq. Schönborn. lib. 3. polit. c. 13. Zepper. in explicat. LL. Mosaic. lib. 4. cap.*
11. *18. p. 456.* Aliud verò est in hypothesi & respectivè circa negotium istud versari & qværere, num in hâc vel illâ Republ. lupanaria sint permittenda, vel num olim in Republ. Romanâ rectè fuerint permissa. Qvi controversiæ status hoc modo formatus aliunde decisionem non exspectat, nisi ex principiis prudentiæ legislatoriæ: secundum qvæ maximè respiciendum est, tum ad ingenium populi, cui LL. præscribuntur, tum ad utilitatem Rei-

publ.

publ. ad qvam omnes leg s civiles diriguntur. Qvod ſi enim 12.
populus maximè proclivis in Venerem deprehendatur, imò
Veneri plus nimio ſtudeat, nec facilè â pudendo illo ſtudio
ſanctionibus pœnalibus ſine ſummo Reipubl. periculo abduci
qveat: qvidni legislator lupanaria permittat, ut majus malum
ſive morale ſc. vaga ſtupra, adulteria, inceſtus aliaqve graviora
ſcelera; ſive civile, ut concuſſio & perturbatio Reipubl. evi-
tetur? Legislator enim omnis popularis eſſe, nec facilè majora
viribus ſuis tentare debet. Imprimis ipſi ſedulò cavendum eſt,
ne qvid detrimenti capiat ſalus publica, nec ſecuritas vitæ ſocia-
lis ullâ ex parte periclitetur. Bonus enim Legislator ſemper
qvidem optat LL. ferre qvàm optimas i. e. juri naturali qvàm
maximè conſentaneas. Atqve adeo id præcipuè ſpectat, qvid
oporteat. Sed incidunt ſæpe tempora & Caſus varii, unde non
licet preſſo pede viam illam regiam decurrere; qvin ad ea de-
flectendum ſit, qvæ licere non vellet cuiqvam, ſi ubiqve, qvod
optimum eſt, obtineri poſſet *Boecler. in Comment. ad Hugon.*
Grot. d. I. B. & P. lib. 1. cap. 1. p. 145. Non enim vivere licet in
Republ. optimâ; ſed uti cives in Republ. homines ſunt, adeoq;
à vitiis haud alieni: ſic nulla etiam Reſpubl. datur, qvæ non
ſuis qvibusdam nævis laboret. Neqve qvicqvam officit, qvod 13.
non ſint permittenda mala, ut inde eveniant bona: cum permiſſio
lupanariorum non ſit actio, ſed actionis potius negatio. Qvi
enim lupanaria permittit, ſeu tolerat, ille eadem non prohibet,
qvia non poteſt; qvia metu majorum malorum impeditur;
qvia ipſum non decet in caſum dare Rempubl. Accedit qvod 14.
permiſſio, de qvâ hîc loqvimur, nemini jus concedat, ſtupra
omnino licitè exercendi, nec efficiat, ut ſcortatio non ſit contra
jus naturæ aut extra pœnæ divinitus imminentis metum: ſed
minus plena ſit, & in nudâ tolerantiâ vel conniventia Legisla-
toris ſubſiſtat; qvi cum malum vagæ libidinis ſæpe citra Rei-
publ. perturbationem tollere neqveat, immunitatem tamen à
pœnâ præſtat, ſeu impunitatem; Actum vero fornicationis ipsũ
non conſtituit in genere juſtorum, vel eundem approbat ſva-

detq;

detqve: ſed potius circumſcribit, limitat & reſtringit *vid. Grot. lib. 1. d. I. B. & P. cap. 1. §. 17. & lib. 3. cap. 4. §. 2. & cap. 10. §. 1. & 2. Dn. Puffendorf. in element. jurispr. Univerſ. lib. 1. def. 14. §.*
15. *2. & def. ſeq. §. 2.* Id qvod ſanè Romani fecerunt, non tantum meretrices infamiâ notantes, cogentesqve ut publicè apud Magiſtratum nomina ſua adeoq; ipſum flagitinm profiterentur; ſed variis etiam modis illud inhibentes, ceu jam ſupra ex *Tacit.*
16. *lib. 3. annal.* demonſtravimus. Neqve porrò obſtat, qvod remediis ordinariis malum hoc libidinis ſit curandum, qvalia ſunt legitimum matrimonium, variiqve generis pœnæ ac ſupplicia,
17. non verò extraordinario lupanariorum ſc. permiſſione. Nam reſpondendum eſt primo in genere; remedia ordinaria ſæpe infirmiora eſſe malis, morbosq; iis haud ſanari; & tunc omittere potius expedit prævalida & adulta vitia, qvam hoc aſſeqvi, ut palã ſiat, qvib9 vitiis impar ſit Respubl. cum indecorũ habeatur, attrectare, qvod non obtinetur ſecundum prudens illud monitũ
18. *Tiberii ap. Tacit. lib. 3. annal. c. 52. & ſeq.* Sæpe etiam remediis uti non licet, cum intempeſtiva remedia delicta accendere ſoleant, non tollere ſecundùm illud *Tacit. lib. 12. annal. cap. 54.* non ſecus ac medicamenta intempeſtivè propinata non tam tollere pravos humores, qvàm concitare ſolent. Ut igitur Medici tempora diſtingvere norunt, qvibus propter caloris aut frigoris exceſſum ægrotis medicamenta non porrigunt; ita in morbis civilibus, quædam ſunt tempora, qvibus remedia ſunt prætermittenda.
19. In eligendis deniqve remediis maximè attendendum, ne ea graviora ſint morbis; aliàs enim non tam malum tolleretur, qvàm ſubjectum malo laborans; nec tam medicina pararetur, qvàm clades & ſtrues cadaverum fieret *vid. Tacit. lib. 1. annal. c. 49.* Ut taceamus, non ſemper eſſe eum Reipubl. ſtatum, ut ordinariis mediis vel debeat vel poſſit temperari *conf. Scipio Amirat. diſſert. polit in Tacit. lib. 3. diſcurſ. 2. p. 149. & ſeqq. Petr. Gregor. Tholoſan. lib. 14. d. Republ. c. 1. Grot. d. lib. 3. cap. 4. §. 2. & Dn. Ziegl. in eum p. 65. & ſeq. Claſen in compend. polit. lib 6. cap. 18. §. 8. pag. 745. & ſeq. Clapmar. d. arcan. Rerumpubl. lib. 4. c. 19.*

Azor.

Azor. instit. moral. p. 2. lib. 12. c. 16. qv. 8 Card. Tusch. Concl. 301. n. 3. lit. P. add. Concl. 323. lit. T. Deinde in specie respondendum est, qvod cum civitas Romana ab initio corpus fuerit ex variis qvasi elementis congregatum, inqve varia studia ac vitia distractum, & conditor ejus Romulus populum Rom. ipse fecisse dicatur *Flor. rer. Roman. lib. 1. cap. 1.* non numeris etiam omnibus absolutè perfecta esse potuerit, vel fieri, ut vitia, inqvæ colluvies ista propendebat, uno die vel anno omnia extirparentur; postmodum verò ubi inseqventibus temporibus incrementa cœpit, variis bellis involuta domi cuncta rectè ordinare impedita fuerit; multaqve permittere necesse habuerit, qvæ minus ei probabantur, qvæqve cùm successu temporis vires acqvisivissent, cunctis remediis validiora existebant. Sed nec negligentes Romani fuerunt remediorum ordinariorum: dum non modò variis constitutis pœnis deterrere cives à studio vagæ Veneris, sed multis etiam propositis præmiis ad operam dandam legitimæ soboli invitare voluerunt, ceu id aliunde satis constat. Permiserunt igitur Romani necessitate adacti lupanaria, neutiqvam vero ea legitima reddiderunt; impunita reliqverunt, non autem approbarunt, & cum tollere non possent, saltem qvantum poterant, circumscripserunt. Qvapropter cum lupanaria inter licita tantùm jure Romano referantur; non omne verò qvod licitum honestum audiat *L. 144. ff. d. reg. jur.* scortationes etiam, qvæ in lupanaribus exercentur secundùm principia ejusdem in se & suâ naturâ pro honestis non judicantur *c. meretrices 11. cap. 32. qv. 4. Menoch. d. arbitr. judic. qvæst. Cas. 535. n. 14.* Nec pro honestis unqvam judicari potuerunt, siqvidem scelus in se continent longè turpissimum: cujus turpitudinem ab eo petendam esse autumamus, qvod jam antea proposuimus ex *L. 13 ff. ad L. Aqvil.* sc. qvod nemo membrorum suorum sit Dominus: qvod fluit ex Regula *L. pen. ff d. Recept. arbitr.* qva nemo sibi imperare posse dicitur. Qvod si igitur nemo imperium habeat in se ipsum, nec ullum etiam in alterum imperium pertineat, nisi Divinitus ipsi fuerit collatum

tum *Johan. 19. verſ. 11.* dominium qvoque in corpus ſuum vel membra ejus, ſive facultatem de iis diſponendi nemo ſibi ullo jure vindicare poterit. Qvicunqve vero ſibi illud tribuerit, injurioſus erit primo in Deum tanqvam omnis poteſtatis autorem, ſine cujus ſpeciali conceſſione nemini ullum imperium, & per conſeqventiam dominium competere poteſt; Reus rectè erit imminutæ Majeſtatis divinæ, qvi ſibi tale qvid ſine autoritate Divinâ temere aſſerit. Deinde injurioſus eſt ſcortator adverſus ſeipſum, dum corpus ſuum liberum ſibi & libidini ſuæ mancipat: hinc *Paulo* etiam notanter *1. ad Corinth. 6. verſ. 18.* ſcortator in proprium corpus peccare dicitur. Injurioſus deniqve eſt in alios, qvibuscum in ſocietate vivit. In vitâ enim ſociali nemo vel ſuperioris imperio, cui cœteri omnes parent, ſe eximere, vel prærogativam ſibi qvandam præ aliis citra eorum injuriam aſſignare valet: jam ſcortator ſe eximit ſuperioris Imperio, cui illud ſolum Divinitus in omnes inferiores conceſſum erat, dum ex ſuâ libidine vivere contendit, & de membris corporis ſui pro arbitrio diſponere inſtituit: qvæ tamen diſpoſitio Dei & ejus, qvi à Deo accepit, imperio reſervata erat: prærogativam verò ſibi qvandam tribuit, dum liberius vivere vult, qvam cœteri vivunt.

23

24 Porrò ſcortator omnis in eo etiam graviſſimè peccat, qvod corpore ſuo abutatur: abuti verò re aliqvâ omnis ille dicitur, qvi uſum ejus ad debitum finem non dirigit, ex qvo aliàs regulariter actio moralis æſtimari ſolet: Jam verò ſcortator uſum membrorum generationi ſervientium ad debitum finem non dirigit, dum ea non generationi ſed voluptati ſuæ deſtinat, nec generandi ſed libidinis cauſa congreditur: imò licet generet, id tamen præter ejus intentionem contingit. Hinc homines ante diluvium *Geneſ. 6. verſ. 12.* omnem viam in terrâ corrupiſſe leguntur; qvod ingluviei omniqve intemperantiæ generi operam navarent. Ut mittamus ſtupratores ſæpe ſe inutiles reddere vitæ ſociali, in qvâ aliis operas ſuas & miniſteria exhibere debebant. Inde ſatis putamus conſtare turpitudinem vitæ mere-

meretritiæ naturalem. *conf. Dom. à Soto d. I. & I. lib. 5. qv. 3. Art. 3. Jul. Clar. Recept. sent. lib. 5. §. fornicatio.* Neqve huic sententiæ 26
qvicqvam refragatur exemplum *Hoseæ* Prophetæ. Nolo qvidem hîc amplecti sententiam *B. Dn. Lutheri in Præfat. Germ. in Hos.* qvasi honesta fœmina fuerit, qvâ *de Hos. 1. & 3.* sermo est; ei verò Mandato Dei nomen scorti impositum ad significandam populi Israëlitici spiritualem fornicationem: qvam interpretationem præter Osiandrum etiam suam fecit *Tarnov. in Exercit. Biblicis p. 605.* Sed tamen nec iis accedere volumus, qvi sanctissimum prophetam speciali Dei jussu verè cum meretrice rem habuisse non citra blasphemiam qvandam contendunt. Certissimi potius sumus, eum meretricem duxisse uxorem, 27
cumqve illâ ut legitimâ uxore cohabitasse; verùm istam, non, prout matronam decet, pudicè vixisse, sed more meretricio egisse. Hinc etiam filii ex eâ suscepti à matre filii fornicationum denominantur. Neqve aliud colligere licet *ex cap. subseq. 3.* 28
ubi eam iterum ex mandato Divino ceu meretricem qvandam ambiisse, ejusqve concubitum sibi pro certâ mercede pactus esse legitur. Non enim sollicitavit meretricem qvandam ad concubitum, sed cum uxor ipsius, nullâ habitâ ratione matrimonii, qvæstûs gratia se aliis etiam prostitueret, ejus amorem, qvem ista non ex animo æstimabat, sibi pretio qvodam conciliare voluit. Igitur non qvæstum meretricium dedit meretrici; sed uxori donationem fecit, ut ab aliis Viris se aliqvamdiu temperaret; qvæ donationes aliàs in jure nostro improbantur, qvod noluit matrimonia esse venalia *L. 2. & tot. tit. ff. d. donat. inter vir. & uxor.* Multò verò minus factum Judæ *Gen. 38. vers. 23.* aliud evincit; cum non tam, qvid factum fuerit, qvàm qvid fieri debuerit, attendendum sit: & deindee Judas ibi, ut antea sollicitus, sic nunc securus de existimatione suâ inducitur, qvæ periclitari videbatur, si putativum illud scortum stuprum manifestaret, inqve vulgus disseminaret: cum præter pastorem ipsius, Odollamitam nemo hujus concubitus notitiam haberet. Qvam sententiam qvoqve eleganter illustrat *Calvinus in*

comment. ad Pentateuch. Mos. p. 255. hunc in modum: *Nam quod verba hæc, accipiat sibi, ne simus in contemtum, quidam ita accipiunt, quasi excuset Judas se præstitisse datam fidem, mihi non probatur. Alter ille sensus longe melius quadrat, quod mavult Judas annulum perdere, quàm rem longius spargendo materiam præbere vulgi sermonibus: quia levior sit pecuniæ quam famæ jactura. Aliud etiam ludibrium timendum fuit, quod tam credulus fuerat. Sed præcipuum ex scortatione dedecus veritus est, ubi videmus homines qui Dei Spiritu non reguntur, de mundi opinione magis quàm Dei judicio esse semper solicitos. Cur enim, dum eum titillabat carnis libido, non venit hoc in mentem: Ecce, nunc fœtidus ero coram Deo & Angelis? Cur nunc saltem postquam libido deferbuit, non erubescit tacita peccati sui notitia? sed securus est, modò â publicâ infamiâ sibi caveat. Docet tamen hic locus, quod jam prius admonui, communi hominum sensu damnatam fuisse scortationem, ne quis ex ignorantia excusationis prætextum quæreret.* Hisce fermè gemina sunt, quæ *ad d. cap. 38. Gen. vers. 23.* commentatus est *Cornel. à Lapide.*

31 Ex hisce etiam turpitudo qvæstus meretricii abundè patet; cum non melioris conditionis esse qveat qvæstus iste, qvàm cujus conditionis est causa, pro qvâ datur & accipitur. Qvapropter uti lucra ex furtis, ex latrociniis redacta turpia sunt: sic eâdem turpitudine laborat qvæstus meretricius; qvia pro opere turpi nihil honestè vel dari vel accipi potest *Medin. tom. 2. tit. d. reb. restituend. qv. 19. & seqq. allegatus ab Azor. p. 3. Instit.*

32 *moral. lib. 4. cap. 21. p. 290.* Qvi cum moralibus Pontificiis fermè omnibus contrarium tenet, & qvæstum istum non pro pretio peccati habent, sed pro mercede ex locatione actûs delectabilis descendente. Sed illi revera nihil aliud agunt, qvàm ut leges tam divinas qvàm humanas cavillentur, Deoqve pariter

33 ac hominibus nefariè illudant præstigiatores neqvissimi. Ille enim actus delectabilis uti in se & naturâ suâ malus est, & in voluptate corporis consistit; ita nec honesta ejus locatio esse, nec pretio sive mercede æstimari potest: qvia nullus contractus

ctus circa res inhoneſtas occupatur, qvippe in vitæ ſocialis ſufficientiâ unicè introductus *Conf. Hahn, in Weſenbec. tit. d. Condict. obturp. cauſ. n. 2. verſ. ut ſi meretrici.*

Idqve indiſtinctè procedit ſive mulier ſpontè qvæſtum fe- 34
cerit, ſive paupertatis neceſſitate adacta. Licet enim lugubri ſibi fame pereundum eſſe metuat ſcortum illud Plautinum *in Ciſtellar. act. 1. ſc. 1.* ſi filiam ſuam viduam cubare ſinat, honeſtius tamen ſentit ſenex ille *ap. eundem in Captiv. act. 2. ſc. 2.*

Non ego omnino lucrum omne eſſe utile homini exiſtimo:
Scio ego, multos jam lucrum lutulentos homines reddidit.
Eſt etiam ubi profecto damnum præſtet facere qvàm lucrum
Odi ego aurum, multa multis ſæpe ſvaſit perperam.

Idem etiam dicendum eſt, etiamſi meretrix Amaſio ſuo jura- 35
tò fidem dederit de nullo alio viro admittendo. Nam uti jurata illa promiſſio meretricem non conſtituit extra turpem amicitiam vel rectius vitam meretriciam; ſed eam magis in ea confirmat *Fagundez. in Decal. tom. 1 præcept. 2. lib. 2. cap. 24. n. 19. Diana tract. 4. reſol. 56. §. 1. pag. 76.* ita qvæſtus meretrici datus eâdem promiſſione non deſinit eſſe meretriciùs & turpis. Quæ ejus turpitudo adhuc magis declaratur in jure Div. ubi De- 36
us expreſsè interdixit, ne voti exſolvendi nomine merces proſtibuli vel pretium canis offerretur, *Deut. 23. verſ. 19.* In quo textu uti illud, quod habetur de mercede meretricis, expeditum eſt: ita quidnam ibidem ſibi velit pretium Canis, non eadem omnium ſententia eſt. Quod enim diſtincta ſint merces meretricis 37
& pretium Canis, non autem unum alterius interpretativum, ſatis ex ratione adjectâ liquet, quia utrumq; domino Deo dicitur abominationi eſſe: Idcirco alii per pretium canis propriè pre- 38
tium intelligunt ex venditione canis redactum, ut illud quoq; accipit *Andr. Tiraquell. d. LL. connub. in l. 9. n. 183.* & ſic de meretrice & cane conjunctim aliquid proponi tradit ob tertium iſtud, in quo conveniunt, nempe impudentiam: ſecundùm *Hieronym. enim in Eſaiam, cap. 66.* pulchrè canis & meretrix copu-

39 lantur, quia utrumq́; animal pronum eſt ad libidinem. Alii verò per pretium canis intelligunt mercedem pro conductione canis ad generandum ſive admiſſarii datam, quod ex *joſepho* affert *Alphonſ. Toſtat. in d. v. 19. cap. 23. p. 123. lit. A.* Aliis autem idem denotat pretium qvod pro redemtione primogeniti canis datur; in quam opinionem quoq́ve inclinare ipſe *Alph. Toſtat.* videtur, quantumvis valde lubricam: cum ſecundùm Legem Moſaicam nullius animalis domeſtici impuri primogenitum præterquam ſolius aſini redimendum fuerit *Exod.*
40 *13.* Hinc alii, quorum ſententia verior videtur, per pretium canis quæſtum Cynædi ſive pueri meritorii intelligunt, cujus ſcelus uti nefandisſimum eſt, ſic etiam quæſtus inde profectus jure abominabilis cenſetur. Canes vocantur autem nebulones iſti propter impudentiam turpisſimam & horrendam laſciviam, quodq́; non vereantur ejusmodi infamem injuriam, ut loquitur *Imp. in §. ult. j. d. his qui ſui ſunt vel alien. jur.* in corpus ſuum admittere *conf. Apocal. 22. verſ. 15. junct. Rom. 1. verſ. 24. & 27.* Et huic ſententiæ accedunt *Piſcator in ſchol. in Deut. c. 23. pag. 242. & in German. ibid. p. 515.* ubi iſtum nomine eines Schandbuben compellat. *Franc. Jun. Analyt. Explicat. Deut. p. 172. ſeq. it. B. Dn. Gerhardus, Glaſſius, Qui ſtorpius ibid. aliiq;.*

41 Eamq́; aſſertam quæſtus meretricii turpitudinem non tollunt ea, quæ *Ulp. in L. idem 4. §. 3. ff. d. condict. ob turp. cauſ.* affert: nimirum quod *turpiter* quidem *faciat meretrix, quod ſit meretrix: non autem turpiter accipiat, cum ſit meretrix.* In quibus verbis ICtus negat, â turpitudine vitæ meretriciæ inferendum eſſe ad quæſtus meretricii turpitudinem. Quæ ſententia, cum ſanæ rationi repugnare videatur, â quibusdam non modò in dubium vocatur, ſed planè refellitur ab improbatur *vid. Franc. Sarmientus 6. Select. interpr. 8.* Alii verò eam indifferenter admittunt, & incautè defenſum eunt, ut præter Dd. moralium Pontificios plurimi ex ICtis *conf. Petr. Molignat. de Retent. qu. 318. Paul. de Caſtro ad tit. ff. de condict. ob. turp. ca. n. 8. Bald. ad d. L. 4. ff. eod. Hippol. Riminald. l. 3. Caſ. 274. n. 66. Molin. de*

Juſt.

Just. & jur. Tr. 2. Disp. 94. n. 12. Andr. de Isernia Comm. in jus Feud. tit. quib. mod. feud. amitt. n. 11. seq. Verùm sicut hi graviter hallucinati sunt; ita illi mentem JCti non rectè assecuti fuerunt. Nec ullius vel erroris vel impietatis argui potest Ulp. si sententiam ejus secundùm præmissas hypotheses examinemus. Cum enim lupanaria jure Rom. permissa essent, nec vita meretricia censuræ & sanctioni LL. subjiceretur; quæstus etiam meretricius non pro turpi vel inhonesto reputari poterat. Proinde distingu. est inter turpitudinem quæstus hujus naturalem & civilem: non illam, sed hanc ICtus supponit: & licet quæstus meretricii turpitudinem naturalem agnoscat, eundem tamen moribus Romanorum pro inhonesto censeri negat. Etenim locum hîc sibi vindicat observatio *Corn. Nepot. in præfat. libell. d. Vit. illustr. Viror.* Non eadem omnibus æq; honesta esse atq; turpia, sed cuncta majorum institutis id est moribus receptis & lege permittente, judicari. Honestatem igitur quæstûs meretricii non ex jure naturali quod sibi semper idem est ac immutabile, sed ex Lege Roman. permissivâ determinavit, *conf. etiam Mart. Azpilcueta in Enchir. Confess. & pœnit. cap. 17. n. 36. p. 390. Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 22. th. 7. lit. D.* Deinde 42 43
LL. Romanæ cum Reip. tranquillitati omnimodo consulere, eiq; maximè cavere à litium frequentiâ ac multitudine voluerint, nec omnes actus nec omnes personas sub censuram suam vocarunt; Inprimis verò vilium personarum nonnullis in casibus rationem planè nullam habuerunt, non quod LL. dedignentur vilitatem ac turpitudinem personarum respicere, ut *Azo in Summ. C. de Cond. ob turp. can. 1. 6. & Duaren. ad d. l. 4. d. condict. ob turp. caus.* censent; sed quod illæ minus vel Reip. tranquillitatem turbare, vel exemplo nocere possent; & sic plus damni quàm utilitatis ex earum notatione in Rempubl. redundaturum esset. Inter vilissimas autem personas referebantur meretrices: quapropter eas quoq; indignas LL. observatione & judiciariâ severitate crediderunt secundùm *L. 29. C. ad L. Jul. d. adult.* Quod igitur in aliis tanquam turpe notaverunt, id in meretrici-

44 retricibus extra cenſuram reliquerunt. Uti nec in ſervis ceu omnium viliſſimis atrox illud vindicarunt crimen *αὐθοχειρίας L. ſed ſi damnum 9. §. 7. ff. d. pecul.* cum tamen malus ſervus audiat, qui aliquid facit quò magis ſe rebus humanis extrahat *L. cum autem 25. §. excipitur 3. ff. d. Ædil. edict.* Unde facilè patet, qua ratione accipiendum ſit illud *Ulp. in d. l. 9. §. 7.* licet etiam ſervis naturaliter in corpus ſuum ſævire; nempe non de eo, quod licet jure naturali, quippe cum id huic adverſari doceat *in all. L. 23. §. 3.* ſed de moribus civilibus inveteratis, qui ob vetuſtatem ſuam ſæpe jus naturale mentiuntur, & proinde pro jure naturali incautè ſumantur, monente *Grot. lib. 2. d. J. B. & P. c. 20. §. 41. junct. c. 12. §. 26. eod. lib. 2.*

45 Sed cum lupanariaſecta temporum noſtrorum non amplius patiatur, ſtudioq; honeſtatis naturalis concubitus omnis extra matrimonium turpis cenſeatur, imò ſeveriſſimè interdictus ſit *Ord. Polit. d. anno 1548. tit.* von leichtfertiger Beywohnung *& de anno 1577. tit. 26.* quæſtus etiam meretricius ob ſceleſtam, quâ laborat, ſorditiem, non niſi pro inhoneſto atq; infami habendus eſt, nec dicere amplius licet, meretricem eum non turpiter acci-
46 pere. Hinc propter turpitudinem quæſtûs hujus & ſorditiem naturalem non planè extra omnem legis cenſuram poſitæ fuere meretrices, nec commodè etiam poni potuerunt: ſiquidem jus civ. licet non per omnia juri natur. ſerviat, nec tamen in to-
47 tum ab eodem recedit *L. 6. pr. ff d. J. & J.* Proinde infamiâ notatæ fuerunt *L. Paconius 3. pr. ff. ſi â parent. quis manum.* hodieq; pro talibus ab omnibus reputantur. *Angel. conſ. 523. & Ludov. à Peguem deciſ. 12. n. 6.* & in militiâ Perſicâ pœna levitatis & inconſtantiæ in deſertore redeunte ad partes priores maxima fuit geſtare nudam meretricem notante *Philipp. Melarnht. in Chron. Carion. lib. 4. p. 903. n* 15 Ob quam infamiam meretrix â teſtimonio dicendo planè repellitur *Fr. Burſat. lib. 2. conſ. 134. n. 35. Berta zol. conſ 311. n. 17. lib. 2. Simon. d. Pratis cent. 1. conſ. 81. n. 14. Paul Pariſ. volum. 3. conſ. 67. n. 80. add. Fa-*
48 *rinac. in pr. crim. lib. 1. tit. 5. qu. 43. n. 80. & ſeqq.* Ob eandem etiam

etiam infamiam, qvotqvot existimationi suæ consulunt, consvetudines meretricum aversantur, nec facilè eas recipere solent: imò peccare etiam videtur, qvi ædes vel partem earum meretrici scienter locat, qvam probabiliter credit eam corpore suo turpem ibi qvæstum facturam esse; cum peccato consentire videatur, atqve, ut id perpetretur, adjuvare *arg. cap. 1. x. d. offic. deleg. Mart. Azpilcuet. in Manual. confess. & pœnit. cap. 16. p. 338. in fin. & seqv. add. Scaccia d. commerc. §. 1. qv. 7. p. 2. ampl. 10. n. 46. & seqq. & ampl. 19. n. 60. & seqq.* Imò è viciniâ rectè expelli potest *Nicol. Boër. cons. 4. n. 55. Luc. d. Penna in l. 4. C. d. spectac. Joh. d. Salas qv. 95. tr. 14. disp. 9. sect. 3. p. 211. lit. D. Caball. in resol. crim. cent. 2. Cas. 184. n. 1. & seqq. Ludov. â Peguer. decis. 12. per tot. Menoch. d. cas. 535. n. 16. & seq.* eundemqve in finem habitu qvoqve meretrices à Matronis & honestis fœminis distinctæ fuerunt *L. 13. §. si qvis Virgines 15. ff. d. injur. arg. L. Mimæ 4. C. d. Episcop. audient. conf. qvæ* elegantia habet *Gothofred. ad d. §. 15. lit. U. add. Nicol. Boër. d. cons. 4. n. 57. & Camill. Borell. cent. 1. cons. 71. n. 20. Barnab. Brisson. in select. antiqvit. lib. 1. cap. 4.* qvam in rem festivè lusit *Auson. Poët Epigram. 102.*

49

50

Delia vos miramur: & est mirabile: qvod tam
Dissimiles estis, tuqve sororq; tua.
Hæc habitu casto, cum non sit, casta videtur;
Tu, præter cultum, nil meretricis habes.
Cum casti mores tibi sint, huic cultus honestus,
Te tamen & cultus damnat, & actus eam.

Sed licet turpitudine laboret meretrix; tamen non exuta est statu humanitatis, ideòqve per conseqventiam non qvidvis adversus eam committere licet, sed perinde, ac alii, injuriarum capax est. Idqve non tantùm de injuriis realibus, sed etiam de verbalibus accipiendum. Nam qvi meretricem animo convitiandi meretricem appellat, vel aliis inhonestis verbis tractat; gravem ei dicitur injuriam inferre, meritoqve inde actione injuriarum tenetur *L. 18. pr. ff. d. injur. & L. si non civilii §. C. eod.* qvia in actione injuriarum non tam veritas convitii, qvàm

51

libido & voluntas injuriandi ſpectatur *conf. Gail. lib. 2. Obſerv. 99. n. 2. Proſp. Farinac. in pr. Crim. qv. 105. inſp. 5. n. 223. & ſeqq.*

52. *Grorg. Mund.* von Rodach. *vol. 2. conſ. 7. n. 85. & ſeq.* Ex hiſce etiam ulterius fluit, qvod alia delicta atrociora ut e g. crimen violenti ſtupri & raptus in meretricem cadere poſſint. Licet enim meretrix eum in finem ingreſſa lupanar fuerit, ut palam ſe omnibus proſtitueret: tamen ad id invita cogi neqvit, cum nemo ullâ ratione ad peccandum adigi poſſit, qvod juri natur. & divino adverſatur: & qvamvis meretrix licitè & citra malum pœnæ alios viros admittere qveat; laudanda tamen eſt, ſi id pœnitentia ducta non fecerit, *conf. Petr. Caball. in reſol. crim. cent. 2. caſ. 29. Azor. in Inſtit. moral. p. 3. lib. 8. cap. 27. verſ. decimò. Hippol. Bonacoſſ. tr. d. ſerv. & famul. qv. 64. n. 2. p. 42.*

53. *& ſeq. Menoch. arbitr. judic. qvæſt. d. Caſ. 535. n. 29.* ubi ſimul notatur, qvod licet pœna vel ſtupri violenti vel raptûs ordinaria tale qvid adverſus meretricem patranti imponi neqveat; tamen extraordinariè puniendus veniat.

CAP. III.

DE ACQVISITIONE QVÆSTUS MERETRICII, & JURE MERETRICUM IN EUNDEM.

SUMMARIA.

Continuationis ratio exponitur. n. 1.
Qvæſtus meretricius inter vivos per donationem acqviritur. 2. 3. & 6.
Reſpondetur ad contraria. 4. & 5.
Qvod datur meretrici, nanqvam repeti poteſt. 7. ſeq.
Ejus regulæ ampliationes duæ traduntur. 9. ſeq.
An meretrix etiam in foro conſcientiæ ſibi datum retinere poteſt? 11. uſq; ad 15.
An meretrix mercedem ſibi promiſſam petere poteſt? 16. ſeqq.
An pignus meretrici datum repetere licet? 21. ſeqq.
An qvis à judice cogi poteſt ad ſol-

ſolvendam meretrici publicæ mercedem citra conventionem initam? 24. ſeqq.
Meretrici in teſtamento recte aliqvid titulo tam univerſali qvam particulari relinqvitur. 27. ſeq.
Meretrix liberam habet adminiſtrationẽ qvæſtus ſui. 29. ſq.
An de eo etiam teſtari poteſt? 31. ſeqq.
An de eo qvoqve piis cauſis aliqvid legare licet? 34.

QVænam ſit indoles Qvæſtus meretricii, & qvid- 1.
nam de ea ſentiendum, hucusqve ſatis demonſtratum fuit: nunc, qvid circa acqviſitionem ejus obtineat, paucis perſecuturi ſumus. Acqviritur verò Qvæſtus meretricius cum actibus inter vivos, tum ultimis voluntatibus. Actibus inter vivos modo illo acqvirendi naturaliſſimo, traditio- 2.
ne ex cauſa donationis, non qvidem meræ & abſolutæ, ſed relatæ *arg. L. 3. ff. de Donat. & t. t. C. de Donat. qvæ ſiunt ſub mod.* profecta; nimirum ob cauſam vel præteritam, vel futuram, ſive ſub modo illo turpi, ut meretrix corpus ſuum donanti ſive amaſio ad voluptatem utendum præbeat: qvod certè negotium ſub nullum contractum cadere poteſt *arg. L. 12. §. ſi adoleſcens 11. ff. mandat.* cum contractus non niſi circa negotia honeſta occupetur, prout jam ſupra probatum dedimus. Ex donatione 3.
igitur qvæſtus omnis redundat in meretricem. Meretricibus enim recte donari poſſe, clarum eſt ex *L. affectionis, 5. de donat.* cujus donationis à parte donantis cauſa non modo impulſiva, ſed etiam finalis eſt expletio libidinis. Ut Adeo neſciamus, 4.
qvænam dubitandi ratio ſit, qvod Ulpianus *in L. 4. §. ſed qvod meretrici 3 ff. de cond. ob. turp. ca.* titulum donationis non reſpexerit, ceu ſibi perſvadet *Covarruv. in C. peccatum, 4. de R. I. in 6. p. 2. §. 2. n. 4.* cum nullum titulum alium ille conſiderare potuerit. Qvod enim meretrici datur, id neqve conſideratur ut merces uſus corporis meretricii; ſiqvidem merces nec ſolvitur, nec debetur niſi ex locatione, qvæ hîc nulla eſt: neqve ut honorarium vel ſalarium; qvippe qvod præſtatur pro operis locari qvidem non ſolitis, ſed tamen honeſtis; actui autem fornicationis nullæ ſubſunt operæ honeſtæ, ſed maximè turpes, qvæ-

5. qve nullo modo locari vel debent vel poſſunt. Et licet iſtud bonæ etiam notæ Scriptoribus mercedis nomine ſalutetur; id tamen παχυλῶς, & de muliere vulgari modo loqvendi vulgari uſurpatur. Multo verò minus qvæſtus iſte ut pretium concipi poteſt; qvia actus iſte ſceleſtus locationi propius, qvàm venditioni accedit, cujus forma & character eſt pretium. Super-
6 eſt igitur, ut dicamus, qvæſtum iſtum proficiſci in meretricem ex cauſa donationis. Hæc enim uti ex liberalitate & ſingulari benevolentia donantis erga donatarium deſcendit; ea autem æqve in perſonam turpem ac honeſtam dirigitur: ita donatio qvoqve in meretricem ab amaſio fieri poteſt, non qvidem abſolute & ſimpliciter; ſed ad qvam iſte excitatur ob fornicationem, eamqve vel præteritam, & tunc donationis inſtar erit remuneratoriæ, vel futuram, & incidet in donationem vel ſub modo, vel conditionalem.

7 Qvod verò per donationem meretrici datur, nunqvam revocari vel repeti, ſed id illa potius ſecure retinere poteſt *d. l. 4. §. 3. ff. de cond. ob turp.* qvod ſolius dantis verſetur turpitudo, ut ſubjicit Ulpianus *d. l.* Meretrix enim turpiter qvæſtum non accipit ſecundum ea, qvæ *c. 2. n. 41. ſeqq.* expoſita fuerunt. Receptis enim lupanaribus, in qvibus meretrices publicè proſtabant, nihil à profeſſione vitæ ſuæ alienum facere videbantur, qvæſtum, qvantum poſſent, maximum ex uſu corporis ſui redigentes; perinde ut nec alii, qvi circa ſordidas operas occupantur, inhoneſti qvicqvam mercedem accipiendo admittere creduntur. Idqve Romanis olim turpe non habebatur. Uti enim probrum naturale aliud, aliud civile eſt *L. probrum 42. ff. de V. S.* ſic etiam honeſtum civile, de qvo loqvitur JCtus, cum natu-
8 rali non eſt confundendum. Eaqve ſententia de retentione accepti qvæſtus meretricii etiam hodie moribus noſtris, qvantumvis ex diverſa ratione, procedit. Nobis enim meretrices licet, qvæ caſtitas temporum noſtrorum eſt, & turpiter vivere, & qvæſtum turpiter accipere dicantur; tamen, qvicqvid acceperint, ſibi illud retinent, nec reſtituere repetenti tenentur; qvod in pari cauſa melior ſit conditio poſſidentis *L. 3. & 4. pr. & §.*

vid Brunn. ad ff. q. 3 et 4.

1. L.

1. L. 8. ff. L. 2. & 5. C. de Cond. ob. turp. Eadem porro obtinet 9.
tam in meretrice occulta, qvam publica. Illa enim, qvæ extra
lupanar passim se prostituit, cum vere & formaliter sit meretrix
L. 43. pr. de R. N. vid. c. 1. n. 18. idem qvoqve circa eam jus ob-
servandum est, qvod locum habet in publica. Accedit, qvod
si qvæ alia mulier præter meretricem ob stuprum acceperit, da-
tum non possit condici ob utriusqve & dantis & accipientis
turpitudinem *d. l. 4. pr. de cond. ob. turp.* Nec interest, utrum 10.
actus ille fornicationis, pro qvo aliqvid datur, subsecutus fue-
rit, aut non fuerit: nam repetitio ex condictione causa data
causa non secuta cessat, si ob causam inhonestam aliqvid da-
tum fuerit *L. 1. pr. ff. de cond. ca. dat.* qvalis est in re præsenti
d. l. 4. pr. ff. de cond. ob. turp. Neqve ea sententia tantum in Fo- 11.
ro exteriore recepta est; sed interiore etiam & Conscientiæ pro-
bari videtur posse, uti multis probatur. Cum enim qvæstus
meretricius ex donatione proficiscatur; donatio autem titulus
justus sit & ad dominium transferendum habilis, ex qvo qvis
salva conscientia aliqvid accipere, & acceptum tanqvam suum
retinere liceat: sequitur etiam, qvod meretrix qvæstum istum
accipiendo suum faciat, eumqve ceu juste sibi acqvisitum illæsa
conscientia retinere possit. Deinde asseri de meretrice neqvit,
qvod suum cuiqvam auferat: cum, si amasium eum supponamus,
qvi sui juris & liberam disponendi de rebus suis facultatem
habeat, qvicquid ea accipiat, à Domino rem suam transferre
volente & consulto dante accipiat. Sed hæc & qvæ ab ali- 12.
is afferuntur *v. B. D. Brunnem. in Append. adc. 4. d. R. I. in 6. n. 123. seqq.* speciosa qvidem sunt; verum si penitius inspiciantur,
parum in se roboris habent. Etenim certum nobis est ac indu-
bitatum; qvod ad alicujus rei acqvisitionem in Foro conscien-
tiæ solus titulus justus non sufficiat; sed insuper desideretur, ut
persona acqvirens omni careat vitio, exemplo usucapientis *c. 5. & ult. X. de Præscription.* Inter ea autem vitia personæ cumpri-
mis referendus est defectus legitimationis personæ sive habili-
tatis ad acqvirendum. Omnis verò iste legitimam personam 13.
sive habilem ad acqvirendum sustinere dicitur, qvi utilis aliis

esse potest, sive ex cujus persona commodum redundat in vitam socialem: cujus verò persona ita non est comparata, ut aliqvid commodi conferre vitæ sociali qveat, ille non est habilis ad aliqvid sibi recte justeqve acqvirendum vel defectu legitimæ personæ laborat: qvi in omnibus deprehenditur, qvi artibus operantur ludicris. Omnis enim acqvisitio æstimanda qvoqve est ex fine hominis acqvirentis, qvi nullus alius esse potest, qvàm post gloriam DEI aliorum, qvibuscum vivimus, utilitas; cum nemo sibi, sed aliis etiam natus sit, ceu à principio statim demonstratum fuit. Qvicunqve verò tali defectu laborat, ille, qvantumcunqve etiam sibi acqvirat, nihil tamen salva conscientia retinere potest; qvod non eo modo sibi acqvisierit, qvo acqvirere debebat, qvodqve nihil recte acqviratur, qvod non ex eo vitæ genere proficiscitur, ex qvo alii in vita sociali utilitatem capiunt. Jam verò meretrices, præterqvam qvod in-
14. juriose agant, *vid. c. 2. n. 22. seqq.* nullam qvoqve legitimam personam sustinent; cum, qvatenus in se spectantur, non modo inutilia sint terræ pondera, sed animalia etiam pestilentissima. Licet enim judicio studiosæ Veneris juventutis meretrix videatur esse animal blandum, innoxium, gaudia ferre paratum viris sitibundis omnibus horis; ac beatius censeatur illas æstimare, qvam illaborare officinis, ingemere agris *vid. Benj. Priolus de Reb. Gall. lib. 2. §. 38.* id tamen judicium hominum est per libidinem corruptorum, qvibusqve omnis honestatis sensus ablatus. Cum igitur meretrices vitæ genus hominum societati noxium exerceant; ne qvicqvam ex eo etiam juste acqvirere sibi poterunt: tantum verò abest, ut male & per scelera parta juste
15. atqve illæsa conscientia retinere valeant. Nec qvicqvam officit, qvod meretrix autoritate legis in possessione lucri accepti defendatur, & sic tuta esse in conscientia possit. Etenim lex meretricem non tuetur ob rationem utilitatis publicæ, qvo in casu de possessione securus redditur in conscientia, qvicunqve autoritate legis possidet. Sed neqve meretrici jus qvæstum ejusmodi turpem retinendi competit favore ipsius, verùm odio Scortatoris, qvi ob turpitudinem facti sui indignus omni beneficio

juris

juris æstimatur, & impuræ suæ liberalitatis pœnas potius sentire debet, qvam per allegationem propriæ turpitudinis ad repetitionem dati admitti. Sed cum meretrix qvæstum acceptum in conscientia retinere neqveat, cuinam istum restituere debeat, in qvæstionem jam venit. Et qvin Scortatori, à qvo 16.
profectus fuit, non sit restituendus, extra controversiam videtur esse; cum dominio ejus & voluntate sua & dispositione juris semel exciderit, nec is per legem impedientem ad ipsum reverti possit unqvam. Idcirco necessario concludendum erit, qvod liberis cæterisqve personis, qvibus naturalis ratio qvasi lex qvædam tacita bona addicit secundum *L. 7. pr. ff. de bon. damnat.* per scortatoris verò impiam donationem à meretrice interceptum est, qvod ipsos capere oportebat, qvicqvid ei datum fuerit, reddendum sit *arg. L. Scortatores 1. C. de Natur. lib.* ubi, qvod à viris in superioribus dignitatibus constitutis donatum fuit, vilissimis concubinis vel ex hisce susceptis liberis, retrahitur, & soboli legitimæ, vel parentibus, vel his non amplius superstitibus, fratribus ac sororibus jus revocandi conceditur. Sed his deficientibus, meretrix non melius consilium ad exonerandam conscientiam suam capere potest, qvam si omnem qvæstum suum pauperibus sine ulla deminutione restituat, prout hoc iis suggeritur in *c. de hoc. 11. in f. X. de Simon. add. Pet. Molignat. de Retention. qv. 318. Cludius in Commentat. ad tit. de Condict. ob turp. ca. cap. 3. n. 11. seqv.*

Qvod si verò nihil qvidem meretrici pro actu illo turpi 17.
donatum, sed aliqvid tantum promissum fuerit, an illud petere possit meretrix, vulgo disqviri solet. In qvo resolvendo intricate pariter ac tumultuarie Dd. versantur, aliis simpliciter negantibus, affirmantibus aliis. Nos eorum sententiæ accedimus, qvi meretrici nullam plane concedunt actionem, si qvid ei dissertis verbis pro actu fornicationis promissum, aut in cautione desuper data causa illa turpis expressa fuerit; moti generali illo principio: qvod stipulationes turpes nullius sint momenti, nec ulla earum sit obligatio *§. 23. I. de V. O. L. generaliter. 26. ff. eod. L. 7. §. 3. 7. & 16. ff. de pact. add. L. 5. C. de LL. L. 16. ff. de cond. inst.*

inst. Hæc enim est illa juris autoritas, qvà demonstratur, ex stipulatione contra bonos mores interposita denegandas esse actiones, ut loqvuntur Impp. *in L. Mercalem. 5. C. de condict. ob turp. ca jung. L. 61. ff. de V. O. L. 5. §. 1. ff. de pact. dotal.* Deinde haud leve pondus accedit ei sententiæ à *L. Procurator. fin. §. Seja 1. ff. de O. & A.* ubi casus proponitur de muliere, qvæ virum qvendam sibi valde cupientem è sedibus ejus ad se dubiis literis evocaverat, eidemqve salarium annuum promiserat: eumqve postmodum qvæstio oriretur, an ex literis illis salarium præstandum esset, respondit *JCtus Scævola, ex personis causisq; judicem æstimaturum esse, an actio danda sit.* Si enim personæ illæ deprehenderentur amore inhonesto atqve turpi adversus se invicem exarsisse, nullam viro dandam esse actionem; qvod si secus, recte eum petere posse salarium sibi promissum: cum illo casu salarium istud promissum nihil aliud qvàm remuneratio qvasi qvædam amoris turpis foret, & sic ex causa turpi descenderet, ex qva nihil debetur; hoc verò aliud dicendum esset. Ex qvo recte concluditur: si, qvod à muliere lasciva viro pro inhonesto concubitu sive stupro promissum, non debeatur; qvod ex causa turpi nulla fluat obligatio: multo minus illud petendum esse, qvod à viro mulieri meretricio more viventi pro actu scortationis promissum fuit; cum huic etiam promissioni eadem, imo eò major subsit turpitudo, qvo minus turpe videatur scortatione stuprum. Ut mittamus, qvod si meretrici actio competeret ad mercedem sibi promissam exigendam, frustra dubitatio qvædam ab *Ulpiano in d. L. 4. §. 3. de cond. ob turp. ca.* mota fuisset, an datum repeti posset; si non datum, sed promissum tantum peti posset. Neqve qvicqvam facit in contrarium; qvod meretrix qvæstum suum non turpiter accipere dicatur, & sic eundem qvoqve petere liceat: hæc enim illatio non admittitur; siqvidem multa honeste accipiuntur, qvæ tamen honeste non petuntur *L. 1. §. proinde 5. ff. de extraord. cognit.* & distinctæ sunt quæstiones, *an fornicator qvid licite dare possit*, qvod conceditur; *& an idem ex lege justitiæ commutativæ qvid dare teneatur*, qvod meritò negatur. Hisce accedit,

18.

cedit, quod LL. nec potuerint actionem dare meretrici, ne malitiis indulgere viderentur contra *L. in fundo. 38. ff. de R. V.* nec voluerint, quod indignum censeant, vilissimarum ejusmodi personarum rationem habere ullam, aut iis remedia juris largiri *arg. L. 1. §. 1. ff. de Aleator.* Cæteris argumentis atq; dubiis, quibus *Covarruvias aliiq;* moventur, abunde satisfecit *B. Dn. Brunnem. ad d. L. 4. §. 3. ff. d. cond. ob turp. ca. à n. 10. usq; ad 40. & in Append. ad d. c. 4. X. de R. I. in 6.* cujus scrinia compilare nolumus. *Add. Idem in Com. ad C. L. 1. de cond. ob turp. n. 10 seqq. Azo in Summ. Cod. eod. tit. n. 7. Andr. Alciat. ad L. 26. ff. de V. O. n. 13. seq. Id. Resp. lib. 7. consil. 11. n. 1. seqq. Fr. Duaren. Comm. in ff. tit. de cond. ob turp. ca.* ubi tamen in f. promissionem meretrici factam subsistere, & actionem inde nasci, verum exceptione elidendam concludit per *L. pen. ff. d. t. de condict. ob turp. ca.* Sed melius est, si textum istum *L. pen.* cum *L. 1. C. eod. tit.* conferamus, eumq; de cautione ea accipiamus, in qua turpis illa causa non expressa fuit, sed tacite continetur, vel alia causa loco turpis subjecta habetur: tunc enim promissio ipso jure facta valet, sed ex ea conventus exceptione doli vel in factum uti, eaq; petentem submovere potest; quia dolo videtur agere, qui ex falsa causa agere perseverat, cum turpis subsit, quæ in exceptione profertur, *arg. L. palam. 2. §. circa 3. ff. de dol. mal. & met. exc. Hugo Donell. ad L. 26. ff. de V. O.* Quod satis innuunt verba *d. L. pen. quoniam sublata proxima causa stipulationis* h.e. proxime in stipulatione seu cautione subjecta, *quæ propter exceptionem inanis esset*, cum falso subjecta esset & rei veritas per probatam exceptionem doli vel in factum manifestaretur, *pristina causa id est turpitudo*, quæ primo & vere in conventionem deducta erat, *supereset.* Neq; hanc interpretationem evertunt verba initialia istius textus: *si ob turpem causam promiseris Titio*; siquidem hisce indigitatur, quid vere gestum fuerit, non autem, quid simulate conceptum, quod postmodum *ICtus Paulus* more ipsi quam familiarissimo rationi decidendi inserviit & quasi obiter notavit. Exposita vero sententia nostra multo magis hodie obtinet, quando meretrix turpiter quæstum acci-

19

20

pere dicitur, & sic in pari causa turpitudinis potior est conditio fornicatoris possidentis, quam meretricis petentis: inprimis autem dedeceret honestatem morum nostrorum, è lupanari ad
21 judicis tribunal hujusmodi spurcitias avocare. Idq; adeo verum arbitramur, ut etiamsi quid meretrici pro turpi actu juratò promissum fuerit, promissio tamen non teneat, nec promissum istud vel in foro curiæ ac secundum principia J. civilis præstandum sit; quia conventiones à jure communi remotæ juramentis non confirmantur, sed iis potius hæc infirmantur *L. 7. §. 16. ff. de pact.* vel in foro animæ ac de J. Canonico; tum quod juramentum hocce contra bonos mores sit, non modo civiles, sed etiam canonicos; præstitum enim est super eo, quod turpitudinem aliquam in se continet, ejusq; observatio peccatum nutrit, & per consequens in dispendium salutis æternæ vergit, tale vero non est obligatorium *c. 58. de R. J. in 6. c. cum contingat. 26. X. de jurejur.* ne evadat vinculum iniquitatis *c. quanto 18. X. de jurejur. c. inter cætera. 22. ca. 22. qu. 4. conf. Gail. l. 2. Obs. 39. n. 7. & 15.* tum quod destituatur comitibus suis, cumprimis justitia & judicio contra *c. animadvertendum 2. d. ca. 22. qu. 2. c. etsi Christus 26. & seq. X. de jurejur.* Nec attendenda est distinctio, quam habet *Diana T. 2. Res. 56.* num qnantitas juratò promissa sit excessiva & prodiga, nec ne; quippe nullo fundamento subnixa.

22 Materiæ affinitas nos ulterius defert ad pignora, firmandis conventionibus plerumq; accedere solita: qua ratione Juda legitur promissionem suam de solvendo quæstu scorto illi putativo factam stabiliisse *Gen. 38. vs. 18.* Quid autem de validitate hujus pignoris sentiendum, ex superioribus satis liquet. Cum enim pro obligatione tantum, quæ jure vel naturali vel civili subsistit, pignus dari possit *L. 5. pr. ff. de pignor. junct. L. 9. §. 1. ff. de pignorat. act.* hæc autem promissio meretrici facta à jure improbetur; nullum etiam jus pignoris ei constitutum esse intelligitur. Contractus enim pignoratitius, per quem jus pignoris constituitur, semper requirit etiam conventionem valiz dam præexistentem, æque ac fidejussio, cui accedat. Proinde

ſequitur, quod ſi meretrici pignus aliquod datum fuerit, ea tamen illud neq; retinere, ut cenſet *Cynus in L. 2. C. de cond. ob turp. ca. Salycet. in L. ea quæ. 5. C. de donat. ant. nupt. aliiq;* quia nullam juſtam cauſam allegare valet, ob quam pignus ſibi retinere liceat; neq;, ut illud redimat, contra donatorem agere poſſit: quin potius amaſio, qui pignus dedit, facultas iſtud per vindicationem repetendi concedatur, non tantum ob dominium ipſi ſalvum *L. 35. §. 1. ff. de pignor. act.* ſed etiam, quod ille repetens nullam turpitudinem allegare neceſſe habeat, ſiquidem ſe unice fundat in Dominio ſuo. Et licet meretrix excipiat, quod ſibi illud traditum ſit in ſecuritatem mercedis conventæ: actor tamen recte replicare poteſt, quod merces illa non debeatur; & hoc modo intentionem ſuam in nulla turpitudine fundatam jure optimo tuetur *Paul. de Caſtr. ad tit. ff. de cond. ob turp. ca. n. 8. ſeq. add. And. Alciat. ad L. 26. ff. de V. O.* Neq; 24
obſtat factum *Judæ* non modo pignus dantis, ſed promiſſam etiam mercedem ſolventis. Uti enim magnum Judæ probrum in eo verſatur, quod ad ſolum conſpectum ignotæ ſibi mulieris, cujus venuſtate formæ capi non poterat, inſtar equi ad equarum odorem adhinnientis, totus libidine accenſus fuerit, nec dum provectior ejus ætas intemperantiæ fervorem reſtinxerit: ita nec error ejus ex neglecto ſtudio honeſti ortus excuſandus venit; tantum vero abeſt, ut ex erronea ejus opinione quicquam concludere liceat. *B. Dn. Brunnem. ad d. L. 4. n. 21.* Ex præcedentibus deniq; haud obſcure colligendum eſt, quantum tribuendum ſit ſententiæ *Covarruviæ loc. ſup. all.* quam amplexus quoq; eſt *Molin. de J. & J. T. 2. Diſp. 94. n. 12.* fornicatorem, qui cum meretrice ſine prævia conventione de certa mercede ſolvenda rem habuit, à judice ad conſvetæ mercedis ſolutionem ex officio compellendum eſſe ſtatuentis; eò, quod meretrix non cenſeatur gratis, ſed pro conſveto pretio copiam ſui corporis feciſſe, idq; attendere debuiſſet fornicator. Quæ opinio, licet à 26
dictis Dd. pro communi venditetur; nullum tamen judicem tam impudentem, vel ſi mavis, imprudentem fuiſſe exiſtimamus, qui eam calculo ſuo approbaverit unquam; niſi fortean è

Barbarorum numero esset, & qui à Sacris Christianorum plane sunt alieni: ceu id de Persis testatur *Dn. Olearius* in der Persianischen Reisebeschreibung *lib. 5. cap. 15. p. 592.* qui cum alia adhuc ratione moveantur, non abs re erit, laudati scriptoris verbis
27 rem, prout gesta est, exponere: Es werden auch / inquit iste, in allen Städten (außgenommen Ardebil) öffentliche Hurenhäuser gehalten/ und von der Obrigkeit beschützet. Als wir in Schamachie lagen/ und einer von unsern Soldaten sich auch an solchen Ort gefunden/ und die Gebühr nicht entrichtet/ ist es dem Cham geklaget worden. Der Cham aber schickte zu unsern Gesandten/ mit bitte/ daß der Soldat zur Zahlung gehalten werden möchte. Denn weil die Rabeh (so nennen sie die unreinen Weiber auf Türckisch) grossen tribut geben müssen/ wäre es auch billig/ daß sie das ihrige bekämen.

28 Sed præter donationem obvenit meretrici etiam quæstus beneficio successionis tam testamentariæ, quam legitimæ. Et de hac uti nullum dubium est, quod meretrici debeatur *per §. fin. J. de SC. Tertyll. §. 4. J. de succeff. cogn. L. 2. & 4. ff. und. cogn.* sive ea plebeja sit, sive illustri familia orta *Schneidw. ad tit. J de Suc. quæ ab intest. def. cap. de sec. ord. succed. n. 48. add. Magn. Dn. D. Stryk. de Succeff. ab intest. c. 3. Aph. 1. §. 37.* ita quicquid inde redundat lucri, ptoprie ad quæstum mereticium referri nequit: uti nec eò spectat, quod per testamentariam dispositionem vel per quamvis etiam ultimam voluntatem à persona cognata sine turpi affectu in eam fuit transmissum, quo de *conf. J. Cephal. lib. 2. Conf. 294. n. 64. seqq.* quia istud extra profes-
29 sionem vitæ meretricæ acquiritur. Rectius igitur ei accensetur, quod ex testamento amasii titulo sive universali sive particulari in meretricem derivatur. Quod enim hæc ab illo hæres possit institui, certum putamus, cum nusquam à testamenti factione passiva deprehendatur exclusa: modo testator ille non præterierit fratres sororesve germanos & consangvineos secundum *L. fratres 27. C. de inoff. testam. conf. Menoch. l. 7. Conf. 853. n. 3.* Multo vero magis ei aliquid legari, vel etiam mortis causa donari, vel alio modo relinqui potest: cum legata etiam materiali-

rialiter sint donationes *§. 1. J. de leg. arg. L. 18. ff. de adim. & transf. leg.* quæ in meretricem cadunt.

Quicquid vero hisce modis meretrici fuerit acquisitum, 30
de eo certe liberum habet disponendi arbitrium secundum regulam generalem *L. 21. C. Mand.* nusquam enim istud in jure restrictum reperitur. Et licet contrarium videatur eliciendum ex *L. & mulieri. 15. pr. ff. de Cur fac.* ubi *JC. Paulus, mulieri luxuriose viventi bonis interdicendum esse* ait: id tamen de meretrice præcise accipi nequit. Meretrix enim non tam luxuriose, quam lascive & libidinose vivere dicitur. Et luxuria magis vox συνώνυμος intemperantiæ est, qnam libidini in specie; ut sic denotat quamcumq; immoderationem circa voluptates. Hinc *Isidoro in Comm. differ. ap. Barth. lib. 40. adversar. c. 10. p. 1707.* luxuriosus appellatur, quasi luxatus in voluptates, uti membra loco mota luxata vocantur vel luxa. Luxurioси vero cum patrimonium sæpe universum absumant, & proterviam, quod dicitur, faciant; bonis etiam recte ipsis interdicitur. Luxuriæ enim filiam inopiam esse, quacum ætatem luxu perditus exigat, vel ex *Trinummi Plautini Prologo* constare potest. Neq; 31
vis vocis istius *luxuriæ* aliena plane à sensu juris est; utpote in quo ea non modo summam ingenii levitatem ac supinam incuriam, per quam bona dissipari solent *L. 11. ff. de incend. ru. naufr.* sed etiam prodigam erogationem facultatum & luxum ipsum denotat *L. ex damni. 40. in f. pr. ff. de dam. inf.* Quocirca in *d. L. 15.* non de meretrice agitur, sed de qualibetcumq; muliere dissoluta & prodigaliter vivente: de qua, si fortean sine tutore relicta esset (cum mulieres olim in perpetua essent tutela propter imbecillitatem sexus *Ulpian. in fr. tit. 11. pr. Gell. l. 5. N. A. c. 13. add. Cujac. l. 7. Obs. c. 11.*) merito quæstio moveri potuit, annon prævia interdictione bonorum Curator ei dandus esset.

Quandoquidem vero meretrici bonis non interdictum 32
est; recte quoq; eidem non liberum tantum de quæstu suo inter vivos disponendi arbitrium asserimus; sed facultatem etiam de illo testandi salvam relinquimus. Cum enim factio testamenti activa sit ex genere permissorum; nemini quoq; denegganda erit, nisi qui vel tanquam inhabilis impediatur, vel à

jure expreſſe prohibeatur *L. 5. pr. ff. de probat Gl. in L. 4. ff. qui teſt. fac. poſſ.* Cum igitur meretrix qua talis neq; ob vitium aliquod vel corporis vel animi inhabilis ad teſtandum deprehendatur; neq; in jure uſquam teſtari prohibeatur: ſequitur etiam, quod facultas teſtandi ipſi libera ſit permittenda. *Cyn. in L. 2. C. de Cond. ob turp. ca. Bald. in L. 1. C. eod. & in c. cum decorem. X. de vit. & hon. cler. Dec. in L. 1. C. de ſecund. nupt. n. 5. Jo. Cephal. lib 4. Conſ. 523. n. 124.* Nec officit, quod meretrix ſit perſona infamis: cum ſola infamia non tollat teſtamenti factionem activam *Salycet. in d. L. 1. C. de ſecund. nupt. n. 3.*

33 Neq; deſtituimur exemplis: ſic enim *Flora* nobile ſcortum, cum magnas opes ex arte meretricia quæſiviſſet, Populum Romanum ſcripſiſſe fertur heredem; certamq; pecuniam reliquiſſe, cujus ex annuo fœnore natalis ejus celebraretur editione ludorum, quos *Floreles* ſive *Florelia* appellarunt. Quod eum Senatui flagitioſum videretur, ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit; atq; ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Floram finxerunt eſſe Deam, quæ floribus præeſſet; eamq; oportere placari, ut fruges cum arboribus aut vitibus bene proſpereq; floreſcerent *conf. Val. Max. lib. 2. c. 4. Lil. Gyrald. Hiſt. Deor. Syntagm. 1. add. Al. ab Alex. lib. 6. Gen. Dier. c. 8.* Proinde libertati teſtandi meretricum nihil eſt derogandum. Ideoq; liberos etiam

34 ſuos quin ob aliquam ingratitudinis cauſam exhæredare valeant, indubium eſt: ſed filiam tamen meretricem ipſa mater meretrix vix eum effectu exhæredabit *per L. in arenam. 11. C. de inoff. teſtam.* quia infame iſtud vitæ genus, quod in ſe probat mater, in filia reprobare nequit: niſi fortean mater ante conditum teſtamentum vitam ſuam emendaverit, & ad meliorem frugem redierit. conf. *præter allegatos à B. Dn. Brunnem. ad d. L. 11. n 7. Celſ. Bargal. Tr. de dolo lib. 6. n. 60. p. 743. Hippol. Riminald. lib. 1. conſ. 57. n. 28.*

35 Sed uti meretrix meretur laudem, quæ adhuc incolumis turpem atq; illicitum quæſtum ſuum in miſeros & pauperes collocat, ac de male quæſitis proximo egenti benefacere ſtudet: ita nec vituperanda erit, ſi memor mortalitatis ſuæ in teſtamento vel pias cauſas inſtituerit, vel iis ſaltem aliquid legaverit.

verit. Præterquam enim, quod ad eleemoſynas de quæſtu ſuo præſtandas obligetur *arg. c. 11. in f. X. de Simon.* haud leve quoq́; indicium pœnitentiæ atq́; emendationis vitæ præbet pia ejus liberalitas. Neq́; obſtat, quod homo fidelis de iis ſolum, quæ li- 36
cite acquiruntur, decimas ſolvere poſſit *c. ex transmiſſa 23. X. d. Decim.* Reſpondetur enim, quod à decimarum ſolutione ad eleemoſynas & legata piis cauſis relicta minus recte inferatur: cum decimæ ſoli DEO ex ſingulari ejus mandato debeantur, tum teſtificandi grati animi ergo, tum in ſignum & recognitionem Dominii univerſalis, quod ſibi DEUS in totum terrarum orbem reſervavit *c. tua nobis. 26. & c. Parochianos 14. X. de Decim.* nec propterea ulli laico præſtari poſſint *c. adhæc. 15. c. quamvis. 17. & 19. X. eod.* Ideoq́; Sanctitati Divinæ adverſatur, Ei vel decimas vel primitias ex turpi cauſa quæſitas pendere. Hinc Deus etiam in ſpecie interdixit, ne quæſtus ſibi meretricius offerretur *Deut. c. 23. v. 18.* cum ſanctitati ſuæ contrarius & ſic abominabilis exiſtat. Alia vero ratio eleemoſynarum eſt; utpote 37
quæ J. Nat. ex lege charitatis ac miſericordiæ quibuslibetcunq́; egenis debentur; nec quicquam refert, unde præſtentur: imo quæſtus turpis omnis non honeſtius quàm in pauperes collocatur.

CAP. IV. & ULT.

DE JURE PRINCIPIS IN QVÆSTUM MERETRICIUM.

CUm ſupra evictum fuerit, lupanaria in Rep. ob neceſſitatem 1
permitti poſſe: de jure quoq́; Principis circa meretrices & quæſtum earum agendum nobis eſſet, niſi chartarum id anguſtiæ prohiberent. Quapropter quæ ex profeſſo tractanda erant, eorum ſumma tantùm capita nunc exhibebimus. Inprimis vero nota- 2
mus, quod licet Princeps meretrices ceu malum aliquod neceſſarium majoris evitandi gratia tolerare nonnunquam debeat: ejus tamen ſit, qvoad fieri poſſit, ſcortationem publicam quam anguſtiſſimis terminis coërcere, ne min9 late ſerpere, minimũ qve damni Reipubl. dare poſſint. Quod fiet; ſi numerum meretricum 3
coarctaverit: ſi nullum iis honorem tribuerit, quod aliàs Indi & Bengalenſes cumprimis faciunt teſte *Walth.* Schultzen in der

Oſtin-

Ostindischen Reisebeschreibung. *p. 117.* sed summa potius infamia eas notaverit: si omnem iis licentiam in publicum prodeundi evagandiq́; ademerit: si duriter eas tractaverit: si se-
4 dulo quoq́; caverit: ne morbo quopiam contagioso inficiantur, vel infectæ sui copiam aliis faciant, ut fit in Hispania secundum relationem *Jo.* Makels *l. sup. cit. c. 21. p. 146.* Die Aertzte seint verbunden/ sie von Zeit zu Zeit zu besichtigen umb zu erfahren/ob sie rein seyn von der jenigen verfluchten Kranckheit/ welche man in diesen schönen Handwercke / so sie treiben / an sich ziehet/ etc.
5 Si nullũ deniq́; iisdem quæstum reliquerit, sed omnẽ, quem à scortatoribus exigere potest maximum, sibi & fisco suo addixerit, cui alia scelere quæsita jure debentur *L. 9. inf. ff. de j. fisc.* meretricibus inde non nisi necessariis alimentis subministratis. Hac ratione enim & parcus erit vitam ejusmodi profitentium numerus; & multi à scortationibus vagis sibi temperare discent.
6 Inde quoq́; patet, quod vectigal illud à meretricibus pendi nonnullis in locis solitum, quodq́; nostratibus Mischzins oder Hurenzoll vocatur, nulla sorditie aut turpitudine laboret, secus ac sentiunt *Bodin. de Rep. l. 6. c. 2. p. 1024. Lather. de Cens. l. 1. c. 5. n. 21. seq. P. Greg. Tholos de Rep. l. 3. c. 6. J. Val. Winth. in Parth. lit. lib. 1. c. 14. n. 12. Klock. de Aer. l. 2. c. 146. n. 6. seqq.* Modo bona intentione ac fine imponatur impositumq́; exigatur *vid. Ex-*
7 *cell. Dn. D. Becm. Med. Pol. diss. 20. §. 6. p. 338.* Quale vectigal hodienum exigitur à Persis *Olear. l. cit.* à Bengalensium Prætoribus, quos *Coutewall* vocant, *Walth.* Schutz *l. all.* & Romæ à Pontificibus *Winth. d. l. Lans. or. cont. Ital. p. 839. Klock. d. l.* Omnibus enim modis libido si non exterminanda, saltem coërcenda venit; quia hi demum penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facile stabit, ubi minimum virium Veneris libido sibi vindicarit.

S. D. G.

Sacra Tibi curæ cordiqve fuêre Themistos,
Ex qvo nobiscum, docte LÜDERE, manes.
Hoc Specimen præsens, qvod das, testatur abunde;
Gratulor & precor ut digna brabéa ferat.

Nobil. Domino LÜDERO,
Amico & Domestico suo honorando
Imq; fac.
PHILIPPUS BUCHIUS, S.S.
Theol. Doct. & Profess. Ordin.

SOrdidus est qvæstus, qvem jam LÜDERE resolvis;
Pulchra sed ex illo præmia Laudis habes;
Qvippe doces, qvod non Venerem secteris amicam,
Oscula dum Themidos perplacuere tibi.

Gratul. scrib.
SAMUEL STRYKIUS, D.

NUm tanto LÜDERE flagras meretricis amore
Hinc ut promittas schemata pulchra Tibi?
Justus amor Tuus est, qvum qvæstus Jura reqviras
Scortorum: hinc veniat laus Tibi promerita.

Hæc Nobilissimo Dn. RESPONDENTI
apponere debuit
BERNHARDUS ALBINUS,
Philos. & Med. Doct. & Prof. Ordin.
Fac. Med. p. t. DECANUS.

LUDE-

LüDERUS Cathedram ſcandens ſibi credita fructu
Ubere Primitias Semina ferre probat:
Ut creſcant magis, & Radice profundius actâ
Det DEUS, ut Patriæ commoda mille ferant.

Politiſſimum Dn. RESPONDENTEM
Hiſce proſequitur

J. C. BECMANUS, D.
& Hiſtor. ac Polit. Prof. Ord.

SCortorum *Qvæſtus*, qvem jam diſpungis, *Amice*,
Te proul à *Veneris* ſat probat eſſe *Sacris*;
Sed *Themidos* potius ſtudio *Phœbiqve* teneri:
Qvi tibi pro *Qvæſtu præmia* mille dabunt.

Qvod Nobiliſſ. atqve Doctiſſimo Dn. Reſpondenti Suo gratulabundus vovet

SIMON CHRISTOPH. URSINUS, D.

SEin Fleiß/ geehrter Freund/ iſt billig nicht zu ſchelten/
Daß Er der Tugend-Lohn vor Huren-Lohn erhebt/
Er läßt der Keuſchheit Satz bey Jhm viel höher gelten/
Als was der Bosheit ſonſt auf geilen Lippen ſchwebt.
Er zeigt man ſolte nicht vor finſtre Bübereyen
Dem böſen Huren-Volck darbieten ſchnödes Geld/
Man ſolte ihnen eh' mit Schmach und Schande dreuen/
So wieſe man/ daß uns nicht ſolche That gefällt.
Jhn wird die kluge Welt/ geehrter Freund/ noch preiſen/
Daß Er der Jugend-Zeit der Tugend hat geweiht/
Die ſchöne Keuſchheit wird Jhm goldne Kronen weiſen/
Damit ſein Nahme ſteh im Buch der Ewigkeit.

Womit Hrn. Lüdern als ſeinem hochgeſchätzten brüderl. Freunde glückwünſchend hat aufwarten ſollen

Joh. Gittmann / *Hadelenſis.*

Additamenta.

I. *Judex tempore pestis potest jus dicere ad fenestram domûs suæ.*

II. *Fatalium cursum impedit pestis, si ea ante pestem currere non cœperant.*

III. *Creditor compellere potest debitorem, qui certo loco solutionem faciendam promisit, ut alibi solutionem faciat, si in loco convento pestis grassetur.*

IV. *Licet inqvilinus sub prætextu pestis vigentis non possit recedere à contractu conductionis ad certum tempus factæ; Ei tamen pro rata temporis, qvo non inhabitavit, vel aliàs non usus fuit domo, facienda est pensionis seu mercedis remissio.*

V. *Pastor Ecclesiæ ingruente peste non potest eam relinqvere & alio se conferre.*

VI. *Donatio tempore pestis facta non habenda est pro donatione mortis causa, si in eâ nulla fuerit mentio mortis facta.*

VII. *In testamento tempore pestis condendo in L. 8. C. d. testam. (qvæ de eo loqvitur, qvicqvid etiam sentiat Hillig. in Donell.) neqve septenarius numerus, neqve*

neqve ulla alia ſolennitas juris præter teſtium conjunctionem remiſſa eſt.

VIII. Nec mulier tempore peſtis in Teſtamento teſtis eſſe poteſt.

IX. Medicus Civitatis ordinarius (qvem vulgò Phyſicum vocant) tempore peſtis aliò ſe recipere neqvit, niſi expreſſe ab initio exceperit periculum peſtis.

X. Jure ſingulari etiam tempore peſtis teſtari poteſt, qvi peſte non laborat.

XI. Teſtamentum tempore peſtis conditum ſuperſtite adhuc teſtatore non in perpetuum durat, ſed tantùm per annum, poſtqvam peſtis ceſſavit.

XII. Optimum remedium adverſus peſtem à tempeſtivâ fugâ petitur.

(X2618014)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-542055-p0068-0

4364.
1682, 15a
XII. 20

D. A.

QVÆSTUM MERETRICIUM,

GERM.

Huren-Lohn/

Autoritate Incluti JCtorum Ordinis,

IN ALMA VIADRINA,

PRÆSIDE

DN. SIMON. CHRISTOPH. URSINO,
J. U. D.

Publicè disputandum propono

JOH. WERNER Lüder / Qvedlimb. Saxo.

Ipsis Cal. Septembr. Anno M. DC. LXXXII.

Francofurti ad Viadrum,
Typis JOHANNIS COEPSELII, Acad. Typogr.